Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

KW
232 K 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Gisberti Q Cuvcom Etamioy.

—WW—

Complet.

G.P.

D: Gerdes in Florilegio Histor. Crit: librorum rariorum pag: 249.
hunc librum longe rarissimum esse scribit, ejusdem excerpta exhiberi a Ger: Brandt
in Histor. Reform: Belg. Tom: 1: p: 198–213; et Conferri vult suam Hist:
nræ Reform: Tom: 3: p: 256–267.

Cab: 37 6/V 43.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

~~64 A E 15~~
~~237 D 11~~

FIDELIS ET SVCCINCTA RERVM ADVERSVS ANGELVM MERVLAM TRAGICE ANTE XLVII. ANNOS, QVADRIENNIVM, ET QVOD EXCVRRIT, AB INQVISITORIBVS GESTARVM COMMEMORATIO,

AVCTORE
PAVLLO G. F. P. N. MERVLA I.C.

ORDINVM FOEDERATARVM
PROVINCIARVM HISTORIOGRAPHO,

Qui omnia ſtrictim ex Autographis conlecta
FIXIT, DICAVIT, SACRAVIT,
S. P. Q. BRIELENSI.
L. M.

LVGDVNI BATAVORVM,
Apud LVDOVICVM ELZEVIRIVM,
Bibliopolam & Academiæ Lugdunenſis Pedellum.

TYPIS,
Ioannis NicolaI F. DorpI.
cIↄ Iↄc IV.

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'S HAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Ioannis Euang. Cap. XVI:

Hæc loquutus ſum Vobis, ut non ſcandalizemini.
Aſque Synagogis facient Vos; ſed venit hora, ut omnis qui interficit Vos, arbitretur obſequium ſe præſtare DEO.
Et hæc facient Vobis, quia non noverunt Patrem, neque Me.
Sed hæc loquutus ſum Vobis, ut quum venerit Hora, eorum reminiſcamini; quia Ego dixi Vobis.

Paullus Epiſt. ad Roman. Cap. VIII:

Quis ergo nos ſeparabit a Caritate CHRISTI? *Tribulatio? an Anguſtia? an Fames? an Nuditas? an Periculum? an Perſequutio? an Gladius? Sicut ſcriptum eſt:*

Pſalmo XLIII:

Quoniam propter Te mortificamur tota die; æſtimati ſumus, ſicut Oves Occiſionis:

Iterum Paullus eodem loco;

Sed in his omnibus ſuperamus propter Eum, qui dilexit Nos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

PAVLLVS G. F. P. N. MERVLA S. P. Q. BRIELENSI S. DICO.

MArtyres, VIRI AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, DOCTISSIMI, qui fortium Athletarum more pro CHRISTO decertarent, ſuarumque Actionum Stolas ſanguine fortiter fuſo dealbarent, ab omni fuiſſe ævo ex omnibus Gentibus, Tribubus, Populis, Linguis; veramque de DEO Doctrinam & Confeſſionem incredibili conſtitiſſe cruore; ſatis ſuperque cum ex Sacra Scriptura, tum ex innumeris, quas Rebus Eccleſiæ fideliter ad poſteritatem tranſmittendis varij conſcripſerunt, Hiſtorijs, eſt manifeſtum. Hoſti ſcilicet Generis humani devotiſque ipſi Capitibus nihil magis in votis conſuevit eſſe & optatis; quam ut Sancti cujuſcunque ætatis, ordinis, ſexus, qui ſuæ DEO Gloriæ adſerendæ, Veritatique propagandæ dant operam, modis omnibus tollantur; concitatis contra eos Principibus, extortis Edictis, excogitatis mille Suppliciorum generibus. Antiqua ſint indicta: Recentia videamus; nec illa omnia, ſed quæ proxima nobis, imo noſtra conſideremus tempora. Quam acerba, quam dura, quam calamitoſa noſtri Parentes, Conſanguinei, Adfines, Concives, Amici, præcipue ante bellicos hos tumultus, ſunt experti, paſſique! non aliam ſane ob cauſam, quam quod ab Eccleſiæ Romanæ Scitis bona conſcientia declinarent; quodque in Doctrina quidem Fidei, ſoli Verbo DEI in Scripturis Sacris expreſſo, tribuentes auctoritatem, unaque eſſentia DEVM, & tres in unitate Eſſentiæ Perſonas, cognoſcentes, Salutem ſuam ab uno Servatore confiderent ſibi datam; inque ejus Solius Communicatione Iuſtitiaque ſe juſtificatos profiterentur ad Vitam æternam: In ratione vero Morum, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

dicerent Solo DEI Verbo Regulam perfectam totius Vitæ comprehendi, exque ea Vitam ſuam Chriſtianos inſtituere oportere; ut DEO ſerviant ad Gloriam ipſius, alij alios ædificent, & ſe ipſi magis ac magis confirment in ſuæ Salutis & ſalutaris Gratiæ conſcientia: In Ordine denique, quod dicerent certam Diſciplinam eſſe ex Verbo DEI ad Profeſſionem Gratiæ, quam dixi, per Communicationem non ſolum Verbi DEI & Sacramentorum (duo ſolum ſtatuentes ordinaria) verum etiam Sanctorum inter ſe, ſive publicam cum in Spiritualibus per Preſbyterium, tum in Corporalibus per Diaconiam; ſive privatam in omnibus Pietatis, Caritatis, Honeſtatis, & Ordinis inter ſe Officijs, ſine ſuperſtitione aut tyrannica Conſcientiarum adſtrictione, ſed oblatione ſui animi & corporis ad Communionem hanc voluntaria. Tales fuerunt, & ſic animati, contra quos ſuperioribus annis ſui ſunt armati Principes; contra quos promulgata ſeveritate tanta ſunt Edicta; contra quos tot Suppliciorum ſpecies & vocabula laſſis & defatigatis Carnificibus præſcripta. Principes, bonos alioquin Suis & indulgentes, dementarat Hydra illa, Venenatis vallata colubris. Nihil addam. Edicta vero quæ, qualia, quot numero? Recenſendis ijs dies non ſufficeret. Nobiliſſimum inter poſtrema fuit, quod pronunciari juſſum anno cIↃ IↃ L Aprilis XXIX, interdicens Hæreticorum Librorum (ſic audiebant, qui Eccleſiæ Romanæ Scitis derogabant) uſum & lectionem; Doloſas Deorum Dearumque Picturas, Iconomachias, Secretiores Conventus, Profanorum de Rebus Sacris, Articuliſque Fidei, Diſputationes, Prælectiones, Conciones: præcipiens quoque; ut, qui Seductus agnito Errore abjuravit, deinceps nihilominus de Sacra Scriptura cum alijs non agat; ut, qui iterum inficitur, cenſeatur Relapſus, & puniatur; ut Pœnitentes publicis honoribus in poſterum careant; ne quis alio migrans recipiatur abſque Curionis ſui teſtimonio; ut paſſim Inquiſitio inſtituatur. Inquiſitoribuſque auxilium fiat, ſumto ab Eccleſiaſticis initio, imperataque omnibus Delationis neceſſitate contra non ſolum ipſos Hæreticos, verum etiam eorum Conventus: Mandans denique, ut Iudices ſevere agant contra Hæreticos, abſque ulla Edicti mitigatione, alioquin puniendi; ne Codicilli Veniales Hæreticis vel Revocationis Diplomata concedantur, vel ab alijs procurentur; ne quid imprimatur abſque Venia & Cenſura, ut ipſi Impreſſores Iurejurando certis Legibus adſtringantur; ne Librarij niſi certis Conditionibus admittantur; poſtremo, ut ut diligens habeatur ratio Ludimagi-

dimagiſtrorum. De Pœnis jam Supplicijſque, quæ Edictis adſcripta, quid dicam? Horrent cum gemitu, qui legunt. Ignis Perſeverantibus univerſim propoſitus erat: Summi Benificij loco cenſebatur, gulis prius laqueo fractis in Cineres redigi: Conſtantiores vivi cremabantur; nonnulli lentis flammis torrebantur; quidam, ſi Profeſſioni quid extra Ordinem accederet, Tellenonibus adligati per acerbas vices ſubjectis Carbonibus imponebantur aſſandi, mox extracti per aerem tremulo motu aliquamtum temporis augendo dolori & cruciatui vibrabantur: exſectis interim linguis, vel Pilis ori inpactis, vel Capiſtris linguæ oppoſitis, ne quid fari, ſuamve cauſſam apud Populum, ad hujuſmodi Spectacula avide concurrere ſolitū, tueri poſſent. Mulieres etiam vivæ vel cremabantur, vel Terra obruebantur, vel aquis ſubmergebantur. Flagra, perpetuæ Ignominiæ, Exſilia, Fortunarum omnium direptiones in delicijs quaſi erāt. Sed his omnibus, & gravioribus etiam, nihil eſt effectum. Non enim alijs Ritibus Sacra iſta conſtabant; non alijs modis venerandus ille Cœli Senatus ſolet conſtitui. Qui in Eccleſia, quamdiu in terris peregrinabuntur, nunquam erunt quieti, ſed multis variorum Inſultibus expoſiti, continuo militare, & in decreta conſiſtere coguntur Statione. Per multas magnaſque Adflictiones ſpecimen oſtenditur probatæ Fidei. Pergendum ad Superiora illa per continuas Aerumnas, quarum acerbitatem mitigare ſolet cogitatio, quod per eas Pij deducantur in Regnum DEI: Qui enim cum CHRISTO patiuntur, cum eo regnabunt & glorificabuntur; qui commortui ſunt illi, etiam convivent. Eccleſia quidem Inſula dicitur, quæ undique Procellis adluitur; ſed & Mons Sion eadem appellatur inconcuſſus; tutus adverſus Portas Inferorum, Dæmones, Peccatum, Mortem, aliaque, quibus lædi poſſet, Mala atque Incommoda. Sæviant igitur, quantum in ipſis. Nunquam turpe erit Fidelibus CHRISTI Servis pati ea, quæ paſſus eſt ipſorum Dominus CHRISTVS; eorum autem Hoſtibus nunquam erit glorioſum, patraſſe quæ patrarunt Iudas, quæ Phariſæi, Pontifices, & Scribæ, quæ denique Herodes & Pilatus. Nam quid profecerunt olim, quid jam-nunc proficiunt? Quidquid quanta rabie, quantoque adparatu machinati ſunt Hoſtes eradicando ſtirpitus Euangelio totum hoc (nunquid noſtri quotidie vident oculi!) incredibili DEI providentia gratiaque irritum cadit: CHRISTIQVE Cognitio per Martyrum conſtantiam & cruciatus ſemper ſplendet magis, & redditur illuſtrior. Sparſi per flumina campoſque Marty-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

rum cineres Semina nunquam non fuerunt Fidei magis ſtabiliendæ, Piorumque Cœtui in dies amplificando. Neque mirum. CHRISTVS enim, dum in acie ſtant & congrediuntur, deſuper ſpectans, volentes comprobat; & ipſe dimicantes adjuvat, erigit, corroborat, ſimul luctando; & Angelos ſuos auxilio mittit Suis, in ſupremo jam Agone conſtitutis: Vincentes ipſe coronandus coronat: Victos ſubinde proſtratoſque erigit, novumque inſpirat robur, novos animos; quod facile illi, qui Mortem vicit: Actis denique omnibus ſuam adfundit clementer Benedictionem; facitque, ut Eccleſia (cui proprium eſt tum Victoriam reportare, quum maxime iacet oppreſſa & attrita) inter ſuos Hoſtes augeatur, Perſequutionibus creſcat, per Adflictionum anguſtias uſque in terrarum extrema dilatetur. DEVS per crucem & Martyrium (quod ſolius eſt ipſius Donum, infuſum virtute Spiritus Sancti non omnibus, qui adfectant; ſed ijs tantum, qui ab æterno ad id dignatione DEI ſunt prædeſtinati) declarat, qui veri ſint Epiſcopi, quis verus ipſius Populus, quodnam dicatum ipſi Peculium. Quod Ipſi quam fuerit amplum apud nos, docent quæ acta legimus, quæ audivimus, quæ ipſi noſtris conſpeximus oculis. Horreſco referens. Solius Albani Ducis mandatu, concenſis ijs, qui paullo ante ipſius in noſtras oras adventum ſublati, data morti publicoque ſupplicio adfecta commemorantur ſupra centum millita, nulli ſuo parcente ſexu, ſua nulli ætate, ſuo nulli gradu. Inter eos non poſtremi fuit loci Magnus meus Patruus, Angelus Merula, Concivis veſter, contra quem quæ quadriennium integrum, & quod excurrit, ante quadraginta ſeptem annos ab Inquiſitoribus ſunt nunc his, nunc illis locis patrata, varie ab varijs deſcribuntur: Veritati convenientiſſime ab eo, qui, quanquam ludicrum Scriptum, Apotheoſin concinnavit Ruardi. Nam quæ in Vulgato leguntur Martyrologio tam ſunt exilia, tenuia, & jejuna, falſis etiam quibuſdam admiſtis, ut quoties in ea incido, temperare nequeam ab indignatione; &, primis lectis, cognoſcere pudeat ulteriora. In mandatis dederam Impreſſoribus, quos didiceram Martyrologium recuſuros, ut ad annum quinquageſimum ſeptimum progreſſi me compellarent, accepturi ſolidiorem Angeli Tragœdiæ deſcriptionem; ſed hoc nulli fecerunt, vel oblivione, vel malivolentia. Quod ægre, ut par erat, ferens, ipſe calamum arripui; totam Actorum, quæ apud me, ſaltem in ijs Angeli hæredem, ſervantur, molem diligenter perluſtravi; quæ ad inſtitutum & concinniorem

omnium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

omnium delineationem pertinere viſa, enotavi; tandemque, quanta potui fide , Narrationem hanc omnibus ſuis partibus abſolvi. Quidquid eſt Vobis offero, dedico, conſecro. Cauſſæ mihi multæ. Apud Vos enim Angelus natus eſt & educatus; apud Vos bonum, ut ipſe in extremo Agone loquitur , opus docendo operatus eſt in non-nullis Familijs, quibus Semina Primus aſperſit purioris Religionis; apud Vos Primus Hoſpitia deſignavit Pauperibus, Orphanis, Viduis, quæ jam pia veſtra cura, largaque veſtrorum civium munificentia mirum in modum ſunt aucti. Accedunt & privatiores cauſſæ; cum quod Pater meus, qui inter Principes hujus Tragœdiæ Perſonas, veſter fuerit Concivis; tum quod ego, licet Dordraci natus, apud Vos tamen puer prima hauſerim anno cIↃ IↃ LXXII Litteraturæ fundamenta , quodque mihi provectioris ætatis, tamquam unico veſtri Angeli Heredi, Amicitiæ Veſtræ ſemper patuerint fores. Accipite ergo, quod Vobis omnino debetur , æquo animo; meque totum, quicunque in re fieri poterit, Veſtrum eſſe veſtro Iure cenſete. Valete VIRI AMPLISSIMI, PRVDENTISSIMI, DOCTISSIMI; quibus quorumque Cœptis bona, fauſta & felicia ab Magno Numine precor. Lugduni Batavorum. Anno cIↃ IↃC IV. Kalend. Novemb.

Verſus, qui ſequuntur, nullo ordine ſervato, poſui; uti ab Amiciſſimis Viris, currente Prælo, oblati. Quod moneo, ne quid cuiuſquam dignitati Situs derogare videatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

AD
VENERANDVM MARTYREM
IESV CHRISTI
ANGELVM MERVLAM.
Epigramma
I.

Q Vum clauſi Ezechiæ Solymarum regis in urbe
Blaſphemo Numen roderet ore Syrus,
Angelus e Cœlo, temerati Numinis ultor,
Plurima de medio millia cæſa tulit.
Tu quoque Blaſphemos evertiſti ore furores,
ANGELVS, *haud metuens fulmina Papicolûm;*
Ac, te ſtante, frequens Raſorum obmutuit Ordo:
Miramur! Tenebras Lux fugat aucta graves.

II.

Quis tranſportatum non rideat orbe Batavo
Lovanium uſque Te, ANGELE,
Atque inde Hannoniam verſus. Num ſcilicet illic
DEVM *minus, Numen minus*
Sperarunt fore; quod quo robore fulſerat Haga,
Fulciret hic te non pari?

III.

At ſtolidum eſt, Numen contra quodcunque agitatur;
Ridet DEVS *& vertit minas.*
Nam vitæ inſidias Batava quas nuper in ora
Dudum tuæ paraverant,
Quod Grudios inter reparant, Monachoſque latentes,
Atque Hannonum urbe nobili,
Videre & ſtupuere in fumum turpiter ire,
Animam DEO *ſuam ſibi*
In Cœlum reliquis iungendam Patribus, iſtinc
Vocante mox, atque Angelis.
Scilicet, Aſſyriis ceu dextra vindice ſtratis,
Subit aſtra illæſus Angelus:
Iure pari ad ſuperas non hinc extolleret Arces
Idem DEVS *hunc ſuum* ANGELVM?

I. LVNTIVS, Primarius Scholæ
Vltrajectinæ Rector.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

PETRI BERTII,

Philoſoph. in Acad. Lugd. Profeſſor.

AD ROMAM ADLOCVTIO.

QVid ô piorum Purpurata civium
Pergis tepentem fundere Hydra Sanguinem?
Quæ te dolorum Bellua accendunt faces?
Quæ inflammat ira? quis tenet mentem furor?
Diſiecta paſſim corpora (heu nefas!) iacent,
Tot innocentum, tot timentium DEVM:
Matres, Ephebos, Virgines, Viros, Senes,
Parvoſque natos vidimus morti dari;
Nec ulla morti defuit crudelitas,
Lamnæ, Catenæ, Compedes, Cauteria,
Numella, Nervus, Vngulæ, ardentes Faces,
Cuncta adfuere, nec fuit pœnæ modus:
DEVM vereri, criminis datum loco eſt;
CHRISTIQVE Solam prædicare Victimam,
Cauſſæ ad citatam creditum mortem ſatis.
Impune quodvis perpetraviſſes ſcelus,
Periurus, impudicus, effractor; ſuo
Tarpeia tantum Edicta non môſſes loco:
Illa attigiſſe, maximum ſcelus fuit.
Teſtis vel unus ANGELVS nobis ſiet,
Facundus ille, DEIQVE plenus ANGELVS,
Tanto omnium, qui tunc agebant, optimus,
Quanto omnium unus Sonnius ſacerrimus:
Adſertor ille Veritatis maximus,
Adſertor iſte Falſitatis maximus;
Certabat iſte Carne, at ille Spiritu;
Papæ iſte Somnia, ille Verbum Fœderis

Proferre; Pugna cum Deo Mundi fuit.
Sed vicit ille; Vincitur nunquam Devs.
Talem Ruardus (improbus quo non ruit?)
Ruardus uni ſcelere cedens Sonnio,
Addixit Igni non merentem noxius;
Pium profanus. Iamque flammarum globi
Cœli petebant arcuatos fornices,
Quum deſtinatum contuens ſibi rogum
Senex labore, carceriſque ſqualidus
Situ & latebris, corde compellat Devm,
Ad aſtra porgens conſcias recti manus,
Animamque Christo Soſpitatori ſuo
Olim dicatam, nunc propinquam devovens.
Audivit illum Christvs, & truncum ſuo
Hoſti relinquens, liberavit Spiritum.
Ergo beatus redditus cœlo Senex
Moriendo mortem fugit, & Sonni minas:
Factuſque conſors Angelorum eſt Angelvs.
Deſiſte tandem ſanguine Innocentium
Satiata Roma, Veritatem exſtinguere;
Dei miniſtra eſt, ipſa quin imo eſt Devs.
Certare Christo eſt arduum; nunquam ſuos
Relinquet ille: plus poteſt Româ Devs.

In Hiſtoriam Memorabilem
Conſtantiſsimi Martyris,

ANGELI MERVLÆ,

Fideliter & accurate conſcriptam
Ab Eruditiſsimo Viro

PAVLLO G. F. P. N. MERVLA,

Nepote ex Fratre Defuncti, Collega mihi plurimum obſervando.

Poſt multa dictu gravia, perpeſſu aſpera,
Quæ mente forti, corpore imbelli ſenex
Conſtanter exantlavit, ac fretus DEO
Pervicit Heros, dum Salutis unicum
Colit Sequeſtrem, Numinique debitam
Communicari gloriam nefas putat
Cum gente functa legibus mortalium.
His fultus armis, atque ineluctabili
Virtute Verbi, ſtare quam contra nequit
Vis ulla Mundi, riſit hoſtium minas,
Contempſit iram, eluſit omnes impetus
Argutiarum Veritate ſimplici,
Fraudes retexit, captus haud potuit capi,
Surdaque fugit aure Sirenum ſtrophas,
Tandem peractus innocentiæ reus,
Satelles almæ Veritatis, & Sacro
Contentus uno Victimæ, cuius cruor
Non integrandus cæde ſuccidanea,
Semel Patri pacavit humanum genus:
Hanc voce faſſus, & ſtilo ſanctam Fidem,
Damnatur igni: iamque ſupremus labos,
Et meta mortis imminebat ANGELO,
Timenda pravis, portus & ſtatio bonis:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Dum funeralem lictor exſtruit pyram,
Diroque mortis adparatu ſpem viri
Turbare tendit, ac movere de ſtatu:
Res mira dictu, certa ſed facto fides,
Stupore fixos undique obtutus tenet
Turbæ adfluentis: namque fato iam ſuo
Propinquus Heros, ſpeque complexus DEVM,
Vitæ occidentis orat uſuram brevem,
Non vitæ amore captus, aut lethi metu;
Sed ut profundat ultimas CHRISTO *preces*
Vitæ datori, mente quem tota capit.
Voti potitus, verba dum noviſsima
Profatur, haud edenda mortali ſono,
Repente dextrum ſe reclinat in latus
Collapſa cervix, mors ocellos obtegit
Similis ſopori: corpus intactum rogis,
Spoliumque linquit animus, & velox petit
Sedes beatas, unde duxerat genus:
Ille animus, ingens hoſpes anguſti laris,
Deſertor alacer tædioſi carceris,
Nil oſſa præter atque pellem ſpiritu
Vitaque caſſam funeri, & crudelibus
Conceſsit aris, mens ſoluta vinculis
Refulget inter aſtra lucidum iubar.
O prædicandum mortis auguſtæ decus,
Cui cedat omnis fama priſcorum virum!
Hoc nempe in ipſa eſt emori Victoria,
Medio in Triumpho: ſed quid emori loquor?
Hæc vera Vita eſt, hic Triumphus, & nitens
De morte Laurus, fervidas inter preces
Lethi ſub ictu, quum migrare geſtiens
Nil humile lingua, nil caducum mens ſapit,

Morta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Mortalitatis exui compagibus,
Terrena clauſtra rumpere, & iungi DEO.
Effuſa laudum Græca natio ſuos
In aſtra tollat Phocionas, Socratas,
Manumq́ totam, quos vel impulit mori
Iudex iniquus, vel malis impar dolor
Egit furentes, ut ſua ſibi manu
Necem pararent: noſter ambos ANGELVS
Antiſtat unus. defuit prioribus
Obruſſa veræ laudis in DEVM Fides,
Cæleſte donum, quo ſine eſſe nil poteſt
Immune labis. hos nec ipſa Gentium
Pars magna cenſet laude fortitudinis.
Vir mentis acer, maſculiq́ pectoris
Non provocat pericla prodigus ſui,
Sed promptus, & paratus aleam ſubit,
Cùm poſcit urgens publicæ rei ſalus,
Fideiq́ cauſa, faſq́ iuratum DEO.
Deſertionis crimen, atq́ imbelliæ eſt
Abijcere vitam, ſpiritumq́ effundere
Ceu vile munus, ac ſuperfluens onus.
Iactet Catones, Caſſios, Brutos vetus
Remi propago, queis ſepulchrum condidit
Iniurioſo ſervitutis ſub iugo
Gemebunda Virtus. maior his cunctis fuit
Et iure cauſæ, & occidendi gloria
Otho imperare mollis, at fortis mori.
Sed quàm ſacris profana, quàm cæleſtibus
Humana cedunt, mentis afflatu ſacro
Quàm cæcus error, aut regi dolens furor:
Tam præſtat iſtis ille noſter Hercules,
Quem non cupido concitavit impotens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Vt glorioſo funere inclareſceret,
Captator umbræ, vitreiq́ nominis:
Sed maior omni gentis humanæ probro
Divinus ardor, pectoriq́ cælitus
Infuſa Virtus exitæ ætati dedit
Crudum iuventæ robur, ut cuſtodiæ
Longos labores poſſet, ac famis mala
Durare, donec ille decretorius
Dies, & anceps ultimi certaminis
Diſcrimen adventaret, unde nobilis
Corona pyctæ ceſſit, & feſſo quies,
Et Angelo inter Angelorum cælites
Choros, piaq́ ſede permanens domus.
Atq́ hoc loquendum gentibus miraculum,
Lateq́ per terras ferendum, qua iubar
Solare mundo promit & condit diem:
Hoc ſpecimen ingens, quod ſuperſtites queunt
Vidiſſe teſtes, quodq́ nulla vox valet
Dignè profari, noctis obſcuro tegi
Senſim ſinebat poſterorum oblivio,
Noverca claris incubans virtutibus.
Sed expiavit temporum gravem notam
Merulæ nepotis diligens induſtria,
Reconditoq́ vindicavit a ſitu
Famam, atq́ facta, & nomen inſignis viri.
Fruare Lector hocce ſæculi bono,
Fruare gratus, quoq́ mortalem coli
Fas eſt honore, Martyrem magnum colas,
Quem nulla conticebit ætas, dum pios
Merces ſequetur, litteriſque honos erit.

DOMINICVS BAVDIVS I.C.
Eloquentiæ in Academia Lugdunenſi Profeſſor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Ad fortiſſimum & invictum
Veritatis teſtem

ANGELVM MERVLAM,

ANGELE, ſic multo diſtinctum lumine mundum,
Campumque flammantis poli
Liber, & oblitus lethi percurre tuique,
Pulcher colonus ætheris,
Vt tua ſubſtitimus, pater, ad miracula cuncti,
Altoſque mentis ſpiritus.
Quem nec fama Deûm, nec fulmina, nec minitanti
Compreſſit ardentem manu
Vana Superſtitio: primuſque attollere contra
Es auſus ingentes minas,
Carceris ignavi tenebris & triſtibus umbris
Adſcriptus. Heic Olympias
Acta tibi, ſenſim morienti, animamque paranti
Æternitatis ad loca.
Sic luſtrum moriens feliciter, eripis hoſti
Id omne quod morti patet.
Exactorque tui, precium fructumque tyranni
Crudelitatem prævenis.
Ergo ingens animus nondum ſervire paratus,
Nondumque juſſus, evolat
Sponte ſua, liberque patentem irrumpit Olympum,
Pœnaſque prævertit ſuas.
At cineri ne deſit honos, manus ipſa tyrannûm
Ignara, fatali rogo
Inferias tibi perſolvit: mortemque minati
Munus dedere mortuo.

DANIEL HEINSIVS,
Græc. & Lat. poëtarum interpres.

EIVSDEM
IN CL. V. PAVLVM MERVLAM,
maiores ſuos ab interitu vindicantem.

DVm MERVLAS priſcos & nomina reddis avorum,
Et tribuis lucem qui periere ſuam:
Scilicet ignoſcant; pater es nunc omnibus illis:
Et proavos natos efficis eſſe tuos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

AD V. CL.

PAVLLVM G. F. P. N. MERVLAM,

ANGELI MERVLÆ

Hiſtoriam ex Autographis fideliſſime repræſentantem.

ACer ut infeſtos contra ſtetit ANGELVS *hoſtes;*
Quamque ferox iam tum, quum caperetur, erat;
Et quæ multa miſer longo in pædore ſituque
Pertulit, externas juſſus adire plagas:
Qui magis hiſtorice narraret, & ordine recto,
Quis prior inventus, Merula, Patre tuo?
Captivi comes ille fuit, comes exſulis idem,
Sedulus in chartas rettulit Acta ſuas.
Has tu digeſtas ſine fraude legentibus offers,
Ne populus tanti neſciat Acta viri.
Laudo operam, ſtudiumque tuum pium & utile clamo;
Utilius ſcriptis Lòiolita tuis:
Dico tibi Victor, cui [a] *Serra reciproca nomen*
Indidit, in lites ingenioſe Pater.
Quas nunc vir [b] *Clemens, nunc nobilis excipit* [c] *Heros,*
Qui non hoc cœno commaculandus erat:
Sed peſſum [d] *Veterator eat. Te Merula laudo,*
Laudo, inquam, & pleno gratulor ore tibi;
Tam doctum fortemque virum tua ſtemmata noſſe:
Stemmata vel ſolo Martyre cara mihi.
Huius ad exemplum nos aſpera quæque feramus:
Degeneri ſane non licet eſſe tibi.
Siquis forte dicam (quod abominor) hybrida Maurus
Scribat, & in martem tradet iniqua manus,
Hanc conſtanter adi, Domino præſente Iehova,
Ne dubita: nunquam deſerit ille ſuos.
Ille videt noſtros conſolaturque labores,
Et Teſtes veræ Religionis amat.
At tu qui damnas, olim damnabere: ſed ne
In barathrum præceps abyciare, cave.

P. SCRIVERIVS. F.

a Nicolaus Serrarius Ieſuita.
b Ioannes Clemens Druſius.
c Ioſephus Scaliger Comes a Burden, &c.
d *Quum tibi Serrari, toties tototieſque Novator Druſius eſt, numquid tu Veterator eris?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

ANGELO MERVLÆ,

conſtantiſſimo & indomabili Veritatis Teſti,

SACRVM:

BELGICA dum ſpiſſa caligine merſa iaceret,
 Et meus in multa nocte Batavus erat;
Dum Matri defert, quos Nato debet, honores,
 Cæcaque gens diva Virgine plena furit;
Dum petit a trunco, quod in ipſo quærere cœlo
 Par erat. hei! paſſim dum ſimulacra colit;
Dum ſentire aliquid Sanctos poſt funera credit,
 Et cineres demens oſſaque ſparſa legit;
Affaniaſque alias, Iove diſpenſante Latino,
 In pretio plebes, ipſeque prætor habet:
Riſit & indoluit tua CHRISTE eccleſia. quidni?
 Vt, riſus ſic res plena doloris erat:
Riſit ſtultitiam ſpectaclaque ludicra; ſed te
 Indoluit nullo laudis honore coli.
Qui tamen hos mores, tam pravos, tamque pudendos,
 Auſit in apricum ducere, rarus erat:
Exſtitit Heenvlietæ (ſed non ſine Numine) cui mens
 Sana ſub afflicto corpore cluſa fuit.
Exſtitit, inquam, Heros, ſeu dici ipſe ANGELVS optet,
 Qui coleret cultu ſub potiore DEVM:
Qui Satanæ vafras eludere noſceret artes,
 Poſſet & errores Roma notare tuos.
Iam gravis & ſenior fugiens pappare minutim,
 Et bullas collo ſuſtinuiſſe ſuo:
Non veritus populum celſa de ſede docere
 Sanctos poſſe nihil, omnia poſſe DEVM.
Macte Senex virtute iſta: ſic ibis in ævum,
 Longaque vox Famæ perpetuantis eris.
Si qua tibi triſtem dederit fortuna reatum,
 Delatorque aliquis cœperit eſſe loquax.
Perfer, neu quidquam Fernandi[a] inſania turbet,
 Aut quod Petrina fulmen ab arce venit:
Sonnius hinc lethum, tibi Tapperus inde minetur;
 Vt trahat in partes ille vel ille ſuas:

[a] *Fernandi Aragonij Hiſpaniar. Regis a quo primitus Sacra illa Inquiſitio inſtituta,*

Expe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Expediant boias, & Iberi vincula ſparti:
Nec *b* ſtillans deſit pingue, nec ignis edax.
Et lictor ſarmenta ferat, ferat ipſe cataſtam
Tortor, & infamem tollat in aſtra crucem.
Ne te ne moveat conſponſa hæc factio. talis,
Cœlicolarum hoſpes, ſi moriaris,eris.
Namque aliqua in corpus dabitur fortaſſe poteſtas,
Ipſam animam CHRISTO præripuiſſe nefas.
Felix, bis felix, quem nulla pericula terrent,
Dum ſibi præſentem credit adeſſe DEVM:
Qui dolet, & pœnas alieno in corpore ſentit;
Flammatoſque ſacræ frondis honore beat:
O quis non iſta contingi poſſe corona
Optet, & emeritus miles in aſtra vehi!
Perſta igitur, Fideique tenax, non carceris umbras,
Non Vaticani fulmen inane Dei;
Non ſacrum Officium, tætrumque horreſce Tyrannum,
Illaque in exitium buſta parata tuum.
Invictus ſis uſque, Pater, gravibuſque procellis
Altior, in magnum nomen abire velis.
Hoc age, daque virum conſtanti mente; nec unquam
Velle ſit a Domino te dare vela tuo.
Hoc faciant alij ſub iniqua lege gementes,
Indocileſque alma pro Pietate mori.
Tu ſanctæ collega CRVCIS, tu portio CHRISTI,
ANGELVS in cœlo es, nil ubi flere potes.

b Quod Hiſpanis eſt Pringar. *Dignum nõ miſeris mancipijs ſed ipſis ſemimauris carnificibus ſupplicium.*

IDEM QVI SVPRA FECIT,

Vt & hoc quod proxime ſequitur

IN IBERVM.

ANGELO *ut eriperes vitam crudelis Ibere,*
Exſtruxſti magnos Hannone teſte rogos.
Quos pius ut CHRISTI *cuſtos, rigiduſque ſatelles*
Vidit, in extremas cœpit abire preces.
Iamque mori cupidus, ſacris his rite peractis,
Ecce tuos tortor labitur ante pedes.
Labitur in dextrum latus, exſpiratque: quid horres?
Credibile eſt ipſum ſic voluiſſe DEVM.
Ergo quid incaſſum cœlo tenus exſtruis ignes?
Hic docuit flammis nil opus eſſe tuis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

IN MORTEM

Reverendi Viri

ANGELI MERVLÆ

Propter S. EuangelI Confeßionem cremati,

EPIGRAMMA

IOANNIS MEVRSI.

ANGELVS *attulerat cæcis Cæleſtia Terris*
Munera, flagranti fervidus Igne DEI.
Non tulit hoc longum Vis invidioſa Luporum,
Et rapuit medio de grege ſæva Virum.
O meliora loquar; fas huic mihi parcere verbo:
Debuit hunc Cælo Terra: quis eripuit?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

De Fortiſsimo Martyre
ANGELO MERVLA
Carmen
HVGONIS GROTI.

STaret ad arſuros quum jam pater Angelus ignes,
Damnarat cujus ſæcula voce DEVS,
Squallentem ſenio, ſquallentem carcere vultum
Suſtulit, immenſis fortior ipſe malis.
Cœperat ad tantum facinus palleſcere quiſquis
Fecerat: unus habet iudicis ora reus.
Non, ait, hoc letum, non, hanc, Pater optime, flammam
Deprecor. auſpicijs vicimus iſta tuis.
Ducere jam poſſim pœnas, & vivere centum
Mortibus, & cineres nempe videre meos,
Pro me, Sancte, nihil: maneant, quæ diximus, oro:
Sit tamen o quondam tutius iſta loqui.
Hæc ubi conniſus, quantum vix poſſet ab annis,
Protulerat, ſequitur ſpiritus ecce preces:
Vitaque cum dictis pariter ſuper aſtra recepta eſt:
Labitur ante ſuos corpus inane rogos.
Eripuit ſceleri mortem DEVS, impia turba
Sævitiæ queritur nil licuiſſe ſuæ,
Quod supereſt, gelidos flammas immittit in artus;
Et pœnam cupiens poſcere, Iuſta facit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

FIDELIS ET SVCCINTA RERVM ADVERSVS ANGELVM MERVLAM TRAGICE ANTE XLVII. ANNOS, TRIENNIVM, ET QVOD EXCVRRIT, AB INQVISITORIBVS GESTARVM COMMEMORATIO:

AVCTORE

PAVLLO G. F. P. N. MERVLA.

ANGELVS Gulielmi F. Bartholemæi N. MERVLA natus anno CIↃ CCCC LXXXII, Patricia familia, Brielæ (vrbs eſt hodie clara potenſque in Inſula Vornenſi, ubi Moſa fluvius in Oceanum ſe exonerat) Pariſijs, ubi quadriennium hæſit, Magiſterij titulum [a] adeptus, factuſque [b] mox in Sorbonenſi Collegio Theologiæ Licentiatus, in Patriam reverſus, quum Rebus divinis tractandis dicatus, Trajecti in Eccleſia Cathedrali Sacerdos eſſet conſecratus, [c] primamque Miſſam in æde Brielenſi primaria celebraſſet, [d] annis aliquot elapſis ob inſignem pietatem & eruditionem ad Curionatum magno deſiderio vocatus [e] eſt ab Generoſo Domino Iodoco Ioannis F. Hadriani N. Cruningij, Heenvlitij, Haſerwoudæ, aliorũque locorum dynaſta. Munus paſtorale dum, qua poterat diligentia, quaque debebat fide obiret; ſecretiſſima quæque Sacræ Scripturæ rimatus paulatim, ut illa tempeſtate multi alij, diſcere cœpit Eccleſiam Chriſtianam multis nævis

Angelus Merula

a CIↃ IↃ VIII. Mai XV. Magiſter Artium,

b CIↃ IↃ VIII. Mart. XXIV. Theologiæ Licentiatus,

Sacerdos creatus,

c CIↃ IↃ XI. Apr. V.

d Eodem, Mai IV.

e CIↃ IↃ XXX. ad Paſtorale munus vocatur.

 eſſe

cIↃ IↃ XXXIII. eſſe deformatam, infinitiſque & intolerandis involutam erroribus; inconſultum ratus violentam uno momento

Morbos Eccleſiæ ſcrutans ſananſque,

omnium, quæ diſplicebant, quæque cum Sancto Dei Verbo pugnare videbantur, vel abrogationem vel mutationem instituere, morbiſque, qui radices altas in omnium animis egerant, medicinam ſimul ſemelque adhibere, ante alia mutatis in Miſſali cum multis, tum Collecta,[a] ut vocant, vel Oratione, quæ canitur omnium Sanctorum die (quod ejus factum deinde, quamvis apertis Sacræ Scripturæ exemplis declaratum & probatum, totius Tragediæ præcipua fuit occaſio) ſenſim ſuos, & Principem & reliquos Auditores, alia ab Romanorum Decretis, prout ſingulorum captus erat, docere, & partim publice in Concionibus, partim privatim Eccleſiæ maculas morboſque indicare cœpit; ſatis ex voto, quamdiu ſuperſtes fuit Princeps Iodocus, qui ex conſilio ſui Paſtoris multa jam curaverat emendari. Succeſſit defuncto Filius Ioannes, cui in matrimonio erat Iacoba, Vidua Ioannis Flandri, Pratæ Domini, Soror Maximiliani Burgundi, Beveræ Domini, Veræ Marchionis, Hollandiæ Zelandiæque Præfecti. Viri Principes, quamvis natura clementes, terroribus impetiti miniſque Eccleſiaſticorum quorumdam, inter quos agmen ducebant Inquiſitores, atque adeo nonnulli, qui cum Angelo familiariter aliquando vixerant, tam violenter ad Sacram conjurationem ſunt pertracti, ut ea de re ſcribere fuerint coacti ad Mariam Hungariæ Reginam, Belgicæ Præfectam: cujus auribus quum etiam adſiduo inſonarent ingentes Eccleſiaſtici Ordinis querelæ contra Angelum & accuſationes, tandem eo eſt ventum, ut Curia Hollandiæ Provincialis Diplomate Principali excitata in Vornenſem agtum miſerit Chriſtianum Weertium, Curiæ, quam dixi, Senatorem, eundemque Procuratorem Principalis Fiſci Gene-

[a] cIↃ IↃ LII. *ſub finē Octob.*

accuſatur apud Mariā Provincijs Præfectam,

cujus mandatu Curia Provincialis Inquiſitionē orditur.

Generalem, qui Collectæ, cujus memini, mutationem inſpiceret. Eam ſic vulgo habentem; *Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum merita ſub una tribuiſti celebritate venerari, quæſumus, ut deſideratam nobis tuæ Propitiationis abundantiã, multiplicatis Interceſſoribus largiaris:* hoc modo mutarat, & correxerat; *Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum gloriam ſub una tribuiſti celebritate venerari, quæſumus, ut deſideratam nobis tuæ Propiciationis abundantiam Solius Unigeniti tui, qui omnium Sanctorum eſt gloria, interceſſione largiaris, &c.* Qua re plene cognita, Weertius nullo Angelũ dignatus adloquio in adverſum opidulum Gervlietium, Bernico Canali trãſmiſſo, digreſſus, clam ad ſe vocavit [a] Primores ſenioreſque Pagi Heenvlietenſis Incolas; Auditores eorum, quæ ſuis Angelus docuerat Concionibus: quibus perceptis & in commentarium relatis, ad Curiam eſt reverſus. Proditur poſt aliquot menſes circa Quadrageſimam [b] Angelus Franciſco Sonnio, Theologiæ Doctori, Eccleſiæ Cathedralis Trajectenſis Canonico, Inquiſitori Hæreticæ Pravitatis, ut loquuntur, per Hollandiam, Zelandiam, Friſiam & Trajectenſem Ditionem ab Sede Apoſtolica Cæſareaque Majeſtate ſoli conſtituto, & (recepta dicam voce) Bullato. Porro res erat eo tempore Sonnio cum Paſtore Lirano (Lira Pagus eſt Hollandiæ, haud procul Delphis) qui Statuam S. Georgij in templi Dedicatione vel Ambarvalibus circumferri more ſolito detrectarat; eique honorem conſuetum amplius tribui prohibuerat. Poſtquam hunc e ſuggeſtu quædam Dogmata Articuloſque revocare coëgiſſet, Maeſlandiam pergens, quum Cymbæ propter vim ventorum committere ſe metueret, Dynaſtæ ſcribit, ut navem mittat, cui tuto ſe poſſit credere. Is, acceptis litteris, nihil indicans Paſtori ſuo, Navem grandiorem & conſtra-

[Margin: cIↄIↄLII.]

[Margin: a *Aug.* XXX.]

[Margin: Franciſcus Sonnius, b cIↄIↄLIII. *Martio.*]

[Margin: triumphato Paſtore Lirano,]

[Margin: Heenvlietium profectus,]

cIↃ IↃ LIII. tam mittit: qua tranſvectus Moſam Sonnius in adverſam ripam XVII. Kal. [a] Maj. ſub veſperam ſalvus pervenit, quo procul viſo Princeps ſtatim ad Aulam ſe ex pacto contulit. Nolebat enim Sonnius aperto foro & in hominum quaſi conſpectu Principem adventum ſibi ſuiſque gratulari, ne quid populo de anteactis incideret ſuſpicionis. Ab alijs igitur, qui ſubornati erant (nam ſolennibus ſuis hæc Sacra conſtare oportebat) magnifice ſatis, quaſi præter exſpectationem eo advenissent, exceptis Aula, quam Wieleſteinam dicunt, Hoſpitium liberaliter offertur. Nec mora: continuo Prætor loci Adolphus Rutenburgius Trajectenſis accerſitur; quo Aulicisque quibuſdam ſtipati Theodoricus Lupus, Procurator in cauſa Fiſcalis, & Karolus Weſenhagius Notarius ad ædes Angeli adcurrunt; eumque nihil tale exſpectantem ſuæ domi obruunt, libros quotquot fere habebat, inſpiciunt, conſcribunt, ſuoque more diligenter notant; nihil non quærentes ad Virum ſenem inlaqueandum. Verum illo die nihil inveniunt, quod calumniari poſſent. Neque enim otium ſupererat, die jam inclinato: ideoque in Palatiū cænatū diſcedunt. Poſtridie [b] Dominica II. poſt Paſcha, Sonnius audit Officium Miſſæ, & Concionem Angeli, explicantis illa Chriſti apud Ioannem Euangeliſtam verba cap. X. *de Paſtore Bono*; nihilque inde nactus, quod venabatur, facto prandio accerſi illum mandat. Siſtenti, habitis aliquot ultro citroque verbis, Lupus, qui Sonnio adſtabat, Articulos, quos anno ſuperiore Chriſtianus Weertius, Curiæ Senator, ex Auditorum ipſius teſtimonio, ad poſtulatum Maximiliani Burgundi Præfecti collegerat, Germanice conſcriptos offert: imperatque poſt triduum ad ſingulos reſponſum. Erant numero ſeptemdecim, tritioris doctrinæ, nam altiora captū ingeniumque ſuperarant Auditorum: *Quod crederet, Non adorandos,*

[a] *Aprilis* XV.

& magnifice exceptus,

Inquiſitionem adverſus Angelū proſequitur:

[b] *Aprilis* XVI.

Traditis aliquot Articulis ab ipſo cōtra Eccleſiæ Romanæ dogmata apud varios adſartis:

neque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

neque invocandos Sanctos; nihil ab eis petendum in Orationibus; nullam in ipſis fiduciam collocandam, eos non eſſe, neque eſſe poſſe Interceſſores noſtros ad Deum; non colendas, non auro, vel argento, vel alijs modis ornandas illorum Imagines aut Simulacra; non accendendos cereos, neque illis ſacrificandum; Ligna enim eſſe & Truncos: Quod adſereret Vota & Peregrinationes nugas eſſe, & rem Diabolicam: Quod impedierit impedirique fecerit Oblationes Peregrinorum, quæ fieri ſolebant quibuſdam Imaginibus Templi Heenvlietenſis: Quod conſuetis Stationibus & Feſtis Templi a Proceſſione abſtinuerit; nihiloque magis illos dies celebrarit, quam Profeſtos, tantumque effecerit concionibus ſuis, ut omnino nulla Peregrinatio fiat ad Sanctos Cornelium & Leonardum: Quod multo tempore detrectarit canere Laudes Virginis Mariæ, Salve Regina; *pauciſque diebus elapſis dixerit, nullius nomine eaſdē ſe amplius velle canere: quod negarit Bona noſtra Opera eſſe meritoria; Satiſfactionem tertiam eſſe partem Pœnitētiæ: Quod ſatius eſſe docuiſſet decem Miſſas præterire vel negligere, quam unam Concionem; nihil aliud credendum eſſe, quam quod Verbo continebatur Dei & Sacra Scriptura, eamque non hortari homines ad externas aliquas Ceremonias, ut ſtatuto tempore ieiunandū eſſe, feriandum, hoc aut illo veſcendum, hoc aut illud legendum, faciundum, loquendum: Quod adfirmarit vovētem alia, quam docet Scriptura, non vovere decenter; ideoque Reum illis non adſtringi: Quod ex eo non ſemel auditum, nihili faciundos eſſe Ordines Monaſticos, quantumlibet duros, graves & auſteros: Deum tantummodo exigere Animum, & Cor ipſi Verboque Sacroſancto & vivo fidens, obediens, ipſumque timens: Quod hortatus fuerit per litteras multos, præſertim qui Monaſticæ vitæ, ad reijciendas quaſcunque hominum Doctrinas, Leges, Regulas, Cerimonias & Ordines; nihil enim hæc omnia facere ad noſtri Inſtitutionem aut Salutem: Quod*

cIↄ Iↄ LIII.

cIↄ Iↄ LIII. *denique adſeverarit omnes Eccleſiæ Cōſtitutiones Traditioneſque; quæ non aperte Sacra Scriptura continentur, nihil pendendas eſſe.* Triduo [a] elapſo accerſitus ab Sonnio venit ad Aulam Principis, ſua offerens Reſponſa ad Articulos jam nominatos, Sacræ Scripturæ Patrumque Antiquorum teſtimonijs corroborata; addens inter alia, quod ad Oblationes, quæ Imaginibus quibuſdam in templo Heenvlietenſi fieri ſolitæ, ipſum-met Principem Iodocum Cruningium olim Æditiuis inhibuiſſe, ne paterentur eas amplius fieri; eundemque etiam vetuiſſe Proceſſiones omnes Extraordinarias: noluiſſeque, ut Feſtum illud anniverſarium, quod *Circuitus* appellatione notum, vel a Paſtore e ſuggeſtu pronunciaretur, vel ab Cuſtode ullis deinceps apparatibus celebraretur. Neque hic quidquam invenit Sonnius, quo Angelum jure aliquo ulterius laceſſeret. Adfectat igitur Libellos quoſdam, quibus continebantur conſcriptæ ipſius manu Conciones: quorum oblationem licet quidam propter periculum diſſuaderent: admonuit tamen mens recti, nulliuſque doctrinæ perverſæ conſcia, ne hic tergiverſaretur: *Si abſcondero*, aiebat, *ea, quæ Populo meo concionatus ſum; fama forſitan divulgabitur, me meos decepiſſe, aut decipere voluiſſe: quæ non erubui concionari, non erubeſcam publicare.* Certius igitur meliuſque judicavit fore, ſcripta collectoſque Sermones tradi. Quum neque in his prima inſpectione quicquid occurreret calumnia dignum, Sonnius, Collega ſuo Martino, Paſtore Naeltvicenſi, cujus ad negocium hoc feliciter exſequendum opem petierat, Lupo Fiſcali, Notarioque Weſenhagio comitatus, in Templum venit, abſolutoque Sacro, cum Angelo in domum ejus digreditur. Hic rurſum Muſæum ejus, totamque domum perluſtrant, nullum non angulum perſcrutati: tanta aviditate & conatu, ut omnibus horum conſcijs facile

a *Aprilis* XIX.

quibus Angelus intra triduum reſpondet:

Sonnius poſtulat ſcriptas ab Angelo conciones;

Muſæum ejus perquirit;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cile tunc innotuerit nihil eos minus, quam Animarum ſalutem quærere, quod tamen vere Theologos decebat; ſed more rugientis Leænæ ſuam veſtigare eſcam. Recedentes itaque magnam librorum litterarumque copiã ſecum aſportant. Inter eos repertus eſt Libellus, qui vulgo tunc cognominabatur INTERIM. In hujus margine manu ſua hic illic adſcripſerat quædam ſui judicij, & Cenſuram: non in aliud, quam ut legentium ſaluti conſuleret: notarat & in calce, Auctorem in hoc Libello Antichriſti doctrinam aſtutiſſimo tropo promovere; quibus alijſque Sonnius diligenter perlectis, ira plenus & furore excandeſcens, Angelum ad Aulam Principis evocatum [a], multis in eum modis debacchatus, vinculis onerat: Principique Cuſtodiam ejus committit, jubens omnibus ad eum præcluderet acceſſum, excepto uno fratris ejus filio Gulielmo Merula, qui juvenis XXIV. annorum Patruo, ætate gravi, varijſque morbis continuo conflictanti, auxiliares, ubi & quoties neceſſitas flagitaret, manus adferret. Is igitur ſub veſperam ad eum admittitur, futurus inter primas totius Tragœdiæ Perſonas. Sequenti [b] autem die mandat Sonnius per Fiſcum ſuum & Notarium omnia Captivi bona conſcribi & conſignari, quæ tamen non multo poſt retentione ſunt liberata; Gulielmo Merula cum alio fidem ſuam interponente. Ex Libello autem, cujus jam memini, contra Angelum collegit Sonnius (præter ſeptemdecim jam indicatos) alios adhuc XXXVIII. quos ſecundo obtulit reſpondendos. In ijs hi erant (nam omnes non recenſebo, ne Lectori prolixiore narratione ſim moleſtior) maximi momenti, *Eccleſiam Chriſti, quam credimus ſanctã, non eſſe ſenſibilem, ſed manere ſpiritualem & inviſibilem; eſſe tamen in viſibilibus Membris, licet ea nobis incognita: ſola Scripturæ Sacræ auctoritate & Verbo Dei niti debere Eccleſiam*

ↃIↃ IↃ LIIII.

Libros pleroſq; aſportat;

[a] *April.* XX.

in Carcerẽ conjicit;

Aditum omnibus, excepto Gulielmo Merula; ad eum præcludit;

[b] *April.* XXI.

Bona ejus conſcribi mandat.

Præter ſuperiores XVII Articulos primo traditos ad defendendum, ſecundo XXXVIII. obfert ex Notatis ad Libellũ *Interim* conlectos:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↃ IↃ LIII. cleſiam Catholicam; abundantiſsime enim inibi, quod ad Salutem requiritur, tractari; Solam Fidem in Ieſum Chriſtum iuſtificare; eamque Solam eſſe neceſſariam; quidquid ſit ab homine ante Iuſtificationem Peccatum eſſe; Iuſtificationem Iacobi Apoſtoli eſſe, qua Iuſtus comprobatur, & non qua homo coram Deo iuſtus habetur; Fide enim Sola cum Deo nos agere; Caritate autem cum Proximis: Opera Supererogationis ab hominibus conſtituta aut inventa, eſſe nulla: ideoque gratiam coram Deo non promereri: Confirmationem poſſe eſſe verum Sacramentum, ſi præſtaret id quod ſignificat, & ab Deo nobis eſſet præcepta; eam neque ab Deo, neque ab Scriptura Sacramenti nomen accipere; eaque uti Præſules potius ad irriſionem & opprobrium eorum, qui ſuſcipiunt; quam ad Spiritus Sancti infuſionem, ut olim uſi ſunt Apoſtoli: Extremam Vnctionem tantum eſſe Cerimoniam, qua per Orationem ex Fide Fidelium conſolationem accipit Infirmus: Matrimonium non eſſe Sacramentum: Satisfactionem Pœnitentialem omnino figmentum eſſe humanum, & Blaſphemiam in Chriſtum, & eiuſdem Paſſionis ac Sanguinis pretioſi Meritum; Tranſſubſtantiationem Panis in verum Corpus Chriſti Papiſtarum eſſe figmentum, quum Scriptura Sacra ne minimo quidem verbo hoc doceat: fictum eſſe vocabulum, Adplicare, vel Adplicatorium Sacrificium; nihil enim per aliquem aut ab aliquo adplicari poſſe, pro ſe vel alio præter Chriſti Mortem & Paſsionem per Solam Fidem: Omnem Cultum humanum in divinis ſine Verbo Idololatriam eſſe: ubicunque de Invocatione Sanctorum aut Interceſsione habetur, ſuppoſitium eſſe aut humanæ imbecillitatis Exemplum, & contra Euangelium: Miſſam cum ſuo Canone & Sanctorum Invocatione merum eſſe figmentum humanum: Eos, qui hinc in vera Fide emigrant, certum eſſe, in Chriſto vivere, & pro eis nullum eſſe Purgatorium poſt hanc vitam: Statuere hoc aut illud prodeſſe Defunctis, aut nos eis poſſe ſubvenire,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

venire, figmentum eſſe; Crucem Chriſti & Imaginem Crucifixi non eſſe ullo modo adorandas: ſecundum Euangelium nullum debere eſſe Chriſtiano Patronum præter Solum Chriſtum: Incertum eſſe, nos adiuvari Orationibus Sanctorum. Cætera daturus ſum alias. Annotationes autem ſuas in Libellum hunc Angelus his verbis concluſerat: *Totus hic Libellus videtur ad hoc ſolum compoſitus, ut Sathan, qui dementavit omnes Prælatos, & Principes ferme, maneat & conſervetur in ſuo Regno Mundi; & antiqua Idolomania & Idololatria conſerventur in vigore; Chriſto & Verbo eius una cum tota Sacra Scriptura expulſis & excluſis. Valeat igitur Auctor cum ſuo Antichriſto, & Regno eius, regnetque Solus Chriſtus cum Verbo ſuo cum Spiritu Sancto.* Superioribus XVII. & XXXVIII. Articulis, alios adjecit Sonnius XLII. ex Concionum ejus Libellis, de quibus antea dixi, penitius jam examinatis, hinc inde conſarcinatos; deditque item, ut ſuperiores, loco tertio reſpondendos, In horum numero præter alios legebantur: *Nominatim eum citare Martinum Lutherum, & ſæpius Brentium, Bucerum, Melanchthonem, & Capitonem; ſuamque Doctrinam ex eorum dictis tradere; Doctores Catholicos aliquando, præſertim Scholaſticos, appellare Hypocritas, Papiſtas, Papiſticæ factionis homines; adſerere Papiſtas eſſe Hoſtes Eccleſiæ Dei; Docere ipſum, Fidem certam eſſe & conſtantem de Deo ſententiam, concipientem Deum ſecundum Verbum ipſius, damnantem omnia noſtra, & miſerentem non propter Opera noſtra, ſed propter ſuam Miſericordiam, & per Ieſum Chriſtum; talemque Fidem parere ſecuritatem; item Solam Fidem in Chriſto juſtificare, purgare, impetrare, Vitam æternam habere, ſalvare, vincere, facereque, ut Verbo Dei vivamus; Fidem, quæ Caritati non adnexa, Fidem veram & vivam non eſſe; Scripturam, quicquid dicit de Fide & Spe, hoc etiam de Caritate intelligere, & contra, hæcque tria indiviſa eſſe,*

[Margin: clↄlↄLIII.]

[Margin: Tertio XLII. ex Cõcionibus ejus cõquiſitos;]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↃ IↃ LIII. *ſa eſſe, Sanctorum Fidem, non quævis Opera, eſſe imitandum; Regnum Chriſti ſolum in Spiritu conſiſtere, non in Operibus externis: Promereri velle apud Deum, eſſe Abominationem, & nullum eſſe Meritum, niſi Chriſti; omnia Opera noſtra eſſe Demerita: Peccatum Incredulitatis ſolum Peccatum videri: quo manente, manere cætera; diſcedente autem, & cætera remitti: Baptiſmum in morte tantum ſuum ultimum effectum effundere, ſcilicet Iuſtificationem a Peccato: quod verbum hoc,* Quorum remiſeritis, &c. *intelligendum ſit, ut tantum ſint ad hoc Adhortatores, & Miniſtri declarationis per concionem Verbi Dei: ut, ſi inveniant credulos, remiſſa per Verbum Dei peccata enuncient; ſi autem indurati manent, ea retenta declarent. Quod vera Confeſſio ſit ex Fide in Miſericordiam Dei ſuorum Delictorum & Infirmitatum cognitio, & commemoratio cum Imploratione Miſericordiæ divinæ per Chriſtum, & Gratiarum actio: quod accedendum ſit ad Sacram Euchariſtiam plena Fide abſque hæſitatione Remiſſionis peccatorum; credendo perfecte per Mortem Chriſti peccata noſtra eſſe expiata, & per Sanguinem eius eſſe ſatisfactum pro nobis: quod accedens credere debeat, Paſſionem Chriſti, & Mortem ſibi eſſe Remiſſionem peccatorum: Quod ſolum ſecundum regulam Euangelicam, & non alias, ſit vivendum: quod non ſit Paupertas Chriſtiana ſua abdicare, & aliena mendicare; quod humanum ſit commentum de ſeptem Doloribus Mariæ; quod Mariam neque Advocatam, neque Mediatricem, neque Interpellatricem facere debeamus, quum hoc ſit Officium Filij eius Solius: quod Antiphona,* Salve Regina, &c. *ab Hiſpanis, non ab Eccleſia, quanto minus a Deo, ſed ex Carne & Sanguine ſit excogitata, nec Sacro Euangelio conveniat, aut Scripturæ Sanctæ, ſed potius ſit Blaſphemia in Deum, & in Chriſtum eius, adſcribens ſcilicet puræ Creaturæ, ut fuit Beata Virgo, quod Soli Deo convenit, & Chriſto eius; quodque potius mutatis paucis, ita (ſi quidem cantanda) cantari de-*

beret

beret, Salve Ieſu Chriſte Rex Miſericordiæ, Vita, Dulcedo, & Spes noſtra Salve: ad te clamamus exſules Filij Evæ, ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac Lacrymarum valle: Eja ergo Advocate noſter, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte, & vultũ benedictum Patris tui placatum nobis poſt hoc exſilium oſtende: O Clemens, o Pie, o Dulcis Fili Mariæ; *quod docuerit populum in Sermonibus ſuis, abolendum eſſe Cultum Sanctorum, ex illo Verbo Ioannis*, Me oportet minui, & illum creſcere, *quodque idem ſæpius varijs ſermonibus, rationibus, & modis conatus ſit perſuadere: Quod cum Imagine ſancti Antonij proceſſionem facientes, contra Euangelium faciant: Quod Imagines, Peregrinationes, & ſimilia pugnent cum Verbo Dei: quod Sanctorum Invocatio deteſtanda ſit Idololatria: quod omnia ad Salutem neceſſaria ſufficienter nobis per Scripturã ſint tradita: quod perperam ad imitationem Chriſti colamus Quadrageſimam: quod dies Rogationum & Ieiunium eorum dierum venerint in Legem contra Deũ & omnem æquitatem: quod ſit malum & Impietas per Ieiunium colere Deum, & ei obſequium præſtare; aut putare ſe illo redimere peccata, & ſatisfacere Deo pro delictis, aut veniam impetrare de congruo aut condigno, ut vocant: quod triplex ſit Sacerdotiũ: Iudaicum, iam abolitum; Mundanum, coram Deo nullum; Spirituale, quod Chriſtianis omnibus commune*. Multo erant & hic plura. Ex alio item Libro, *Philippica* cognominato, ubi Philippi Melanchthonis dicta vel ſcripta per Alphonſum Vervetium, Epiſcopum Canarienſem, diſcutiuntur, cui etiam Angelus in margine plura adnotarat, a Canarienſi objecta non ferens, Sonnius collectos adhuc Articulos xxv. quarto dedit defendendos, In eo cum alijs erant, *Totam Romanam Eccleſiam per Italiam ab Immortalitate Animæ decidiſſe; & in tota Roma, & ferme Italia vix eſſe aliquos a crimine Sodomitico aut Infidelitatis futuræ Reſurrectionis immunes:*

cIↃ IↃ LIII.

Quarto xxv. ex Adnotationibus ad Philippica Alphonſi Vervetij cõſarcinatos;

cIↄ Iↄ LIII. *Omne Opus bonum, quantum ab Homine proficiſcitur, Peccatum eſſe: quotquot in Eccleſia Romana ſcribunt, in eandem, aut in eiuſdem vel Pontificis verba iuraſſe, aut iuratos eſſe oportere; & non ex Dei Veritate pendere, ſed ex ſenſu Pontificio, & contra Deum Deique Verbum: Libros Sententiarum, Decretales, atque eorundum Expoſitiones pertinere ad farraginem Errorum: Decretales atque Theologorum Articulos novos perniciem Chriſtianæ Simplicitatis eſſe: Scripturam nominare Solam Fidem, qua iuſtificamur; maleque Scholaſticos addere Dei Verbo etiam Caritatem, Opera bona, & Præcepta: Opera iuſtificare ſecundum Iacobum, hoc eſt, iuſtos oſtendere, & comprobare; Fidem potius Vitam eſſe, non Caritatem; Fidem ſolam eſſe formam, & vitam omnium Bonorum; ſolam Infidelitatem eſſe Iniquitatem & Peccatum; Fidei deberi mercedem propter Chriſtum, cui per eandem inſiti ſumus, & non Operibus; ſolam Fidem iuſtificare, vivificare, & mereri; Stare Fidem cum Peccatis, ſed illis cognitis, Fide abſorberi in Iuſtificationem, atque etiam Pœnitentia: Sacchæo non eſſe factam ſalutem, quia fecit ea, quæ habet Euangelium, ſed potius eo quod ipſe ſit filius Abrahæ, hoc eſt Credens; Vera Pœnitentiæ Opera eſſe, quæ docent & oſtendunt veram & vivam Fidem: Non fuiſſe opus, Populum decipere, ut credant ſuis Operibus Deo pro peccatis ſuis ſe ſatisfacere; & non potius in Chriſto ſatisfactum eſſe docere; Opera tamen Pœnitentiæ & Fidei Remiſſionis peccatorum a Deo ex nobis requiri; Sanctos multum valere, & orare, & orare poſſe pro nobis; ſed non invocari debere; Nullum alium invocandum, nullum timendum, nullum ſanctificandum, niſi ſolum Deum; Fidem exigere in vera Oratione, ut certus ſit orans, quod exaudiatur, & non opus ſit Patronis aut aliis: Non eſſe Mediatores, qui nobiſcum & pro nobis orant, ſed Cooperatores; falſum eſſe, quod propter Miniſtros Chriſti Deus multoties ſua dona largiatur, nam*

per

per Solum Chriſtum Patrem largiri omnia: multa comperiri in blaſphemis Collectis Sanctorum frequenter inconvenientia. cIↃ IↃ LIII.

Quinto XVIII, ex Interlinearibus in Libellum *Interim* Notis conſcriptos;

Hos comitabantur XVIII. adhuc Articuli ex Interlinearibus in Libellum, quem dixi *Interim* cognominatum, adnotationibus conquiſiti; ſimulque cum XXV. quos indicavi, oblati. Nam ubi Libelli Auctores verba faciebant *de diebus Rogationum ante Aſcenſionem, de Letanijs in die S. Marci, de Benedictionibus earum rerum, quæ Exorciſmis & Orationibus ad uſum hominum præparantur*, item ubi adſcribebant, *in Euchariſtia ſub ſingulis ſpeciebus integrum contineri Chriſtum; certis temporibus abſtinendum eſſe ab carnibus; Sanctorum Merita nobis non ſolum ad Salutem conducere, ſed & ad protectionem, & Gratiæ divinæ impetrationem prodeſſe, eademque nobis ſuffragari, Sanctos aliqua via Petitiones noſtras reſciſcere*, & ſimilia: omnia tribus fere verbis improbarat: *meram eſſe Idololatriam, Figmenta, Somnia, Adinventiones, & Præſumtiones humanas, contra Verbum Dei, Nova dogmata*; Præterea ubi Auctores habebant, *ut Germani ſuper Communicatione ſub utraque Specie deliberationem & Sententiam Oecumenici Concilij exſpectarent*; notarat ad verbum, *exſpectent, Sed inique, nam contra Dei Iuſſum, nullius eſt Iudicium exſpectandum, Non enim homines melius Deo proſpicient Communitati, nec debet nos a Dei Promiſſione & Mandato, quorumcunque hominum (etiamſi totus Mundus aliter vellet) Iudicium aut Concilium diſtrahere, aut turbare ullo modo*. Quum autem audiſſet ex Angelo Sonnius de quodam Claudio Guillardi, Pariſienſi Doctore, quem dixerat ſcripſiſſe, *Sola nos Fide iuſtificari*; petijt videre. Ejus igitur in Epiſtolas divi Pauli Commentarios ab Gulielmo Merula Patrui Captivi juſſu mandatuque adlatos quum inſpexiſſet ille, & animadverteret etiam quædam marginibus adſcripta, ex ijs quoque XII. Articulos excerptos

cIↄ Iↄ LIII. Sexto denique XII, ex Scriptis ejus ad Claudium Guillardum conflatos.

Angelo ſexto tradit tuendos: ubi Auctor probabat, *fieri in Euchariſtia Tranſubſtantiationem Panis in Corpus Domini per Iura Canonica & Doctores Scholaſticos in quarto Sententiarum*; adnotarat, *potius per Scripturam Sacram, quam per Canonica Iura, aut Doctores hæc, quæ Fidei ſunt, probari debere; nam vanitatem omnem Hominem viventem eſſe*; ubi Auctor dicebat, *Perfectos noſſe, quod Chriſti Meritum ſine Moyſe ſatis ſit ad Delictorum purgationem*; adſcripſerat, *ſine Moyſe, id eſt, ſine Operibus Legis; multo minus egere aut opus habere Operibus noſtris; Sola Fide in Chriſtum, vel in Miſericordiam Patris per Filium Solum promeritam purgari nos a Peccatis noſtris*; ubi Auctor habebat, *unanimes vivamus, & in eadem regula permaneamus, id eſt Fide eadem, & terminis ambulemus eiſdem, quos Sancti Patres nos docuerunt*: addiderat, *ex hoc patere, Omnium Ordinum regulas contra Deum eſſe: Nam Patrum terminos eſſe tranſgreſſos ipſos Baſilium, Auguſtinum, Benedictum, & alios, qui primi fuerunt Inventores, & regulam iſtam Pauli tranſgredientes, in eadem non permanſerunt; ſed alias & novas confinxerunt, & poſt eos Franciſcus, Dominicus, &c. qui omnes cum Hieroboam Vitulos coluerunt in Dan & Bethel; ſed ſicut illi Vituli permanſerunt, donec Regnum penitus extinctum eſt; ita & apud nos uſque in finem permanſuros Ordines & Regulas*: ubi Auctor ſcribebat; *Nonnulli vero errore ducti dicunt Paulum adhortari uxorem ſuam: quod tamen longe aliter habet, ut docent Hieronymus in Epiſtolis, & Theophylactus in hunc locum; quibus ſacra Facultas Theologiæ Pariſienſis ſubſcripſit, adſerens, Paulum numquam duxiſſe uxorem*, adpoſuerat, *cenſere ſe potius credendum Ignatio Petri diſcipulo & Succeſſori, quam Pariſienſi Sorbonæ, ſimiliter aut Hieronymo aut Theophylacto, eiuſdem cum Hieronymo farinæ, quibus Matrimonium fœtere videbatur præ Virginitate*: ubi Auctor ajebat, *quare non damnat hic locus Præ-*

ceptic-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

ceptiones ab Eccleſia ?* adjecerat, *ſi ſecundum Euangelium ſint,* cIↄ Iↄ LIII.
aut doceantur ab Euangelio; alias nihil eſſe : ubi Auctor in
margine ajebat, *non minoris auctoritatis ſunt, quæ Voce, quam
quæ Scripto ab Sanctis pronunciata;* ſubjunxerat, *errorem eſ-
ſe, patere illud in Sancto Auguſtino, Hieronymo, Bernardo, &
multis alijs, qui non ſolum Voce, Verbis & Opere, verum etiam
Scriptis ab Veritate aberrarunt; caverent, qui ſe Paulo adſi-
milant, ne Iudæ Larvam ſibi vindicent :* ubi textus Pauli
Apoſtoli; *Ne tetigeris, ne guſtaveris, neque contrectaveris,
quæ ſunt omnia in Interitum ipſo uſu ſecundum præcepta,
&c.* adnotarat, *per hoc condemnari omnes Ordines & Regu-
las, quibus, corpus adfligendo putant ſe homines Deo placere,
Cælibatu, Virginitate, Siti, Fame, Aeſtu, Frigore, Lana,
Lino, Pilis, Cinere, Cilicio, quibus corpus adfligitur ſine ho-
nore, id eſt, non in convaleſcentiam corporis: nam Superſtitio-
nem eſſe, talibus promereri, aut placari putare Deum: ſed eſ-
ſe omnibus utentibus in interitum, id eſt ad condemnationem
ipſo uſu, & perire, id eſt ſine fructu eſſe, tanquam abuſum
& vana; non tamen interim moderatam damnari Diſcipli-
nam, ut Spiritui Caro ſubdatur, ſed unumquemque metiri ſe
debere, quid ſibi expediat, ne ſibi Laqueum inijciat:* ubi
Auctor dicebat, *quibus vero præſtigijs, ſpectris, arcanis
cum Numine colloquijs & reſponſis Perſas & Arabes de-
mentavit Arabs ille Mahumetes,* &c. adjecerat, *Sed
anne Mundus etiam dementatus ſit Superſtitione Religioſo-
rum aut Seraphica & Franciſcana, noſſe Altiſſimum :* ubi
Auctor ajebat, *Ne tetigeris, hoc corpus impurum eſt,
quod ſi tetigeris, ablutione opus eſt;* addiderat, *In eius lo-
cum obrepſiſſe ab Iudæis in Eccleſia Chriſtiana Aquam Benedi-
ctam, & ita Diabolum Pontificios obcæcare, ſuumque Iudai-
cum ritum obtrudere, Chriſtum autem conculcare :* ubi Au-
ctor ſcribebat, *Hæc Mortificatio Pœnitentia eſt, quam*

Doctores

cIↃ IↃ LIII. *Doctores ſecundam poſt naufragium Tabulam dicunt*; adſcripſerat, *eos errare*; *nam primam Tabulam eſſe Fidem Baptiſmi*; *quod ſine Fide ſit impoßibile placere Deo*; ubi denique Auctor habebat, *Apparet ex hac Antichriſti circumſtantia Mahumetem, qui fuit ſub Heraclio, & cuius ſecta in hunc uſque diem durat, non fuiſſe hunc Antichriſtum, cuius hic Paulus meminit, quia non ſe Deum, ſed ſolum Prophetam & Dei Nuncium appellavit*; adnotarat, *ſolum Papam pati ſeſe Deum terrenum nuncupari*; *& ſe ſupra Deum (hoc eſt Dei Verbum, quod Deus eſt) extollere, ſubijcereque Euangelium ſuis pedibus*; *permittere, ſe ſolum adorari, a ſe tamquam a Deo miſericordiam implorari, Reges etiam & Imperatores pedes ſuos exoſculari*; *quum tamen in Vetere Teſtamento Reges ſemper ſupra Sacerdotes fuerint in Politia communi*; *Hunc ſolum ſibi totum, omne & univerſum Ius, prout libet, uſurpare: quod ſi ille non eſt hic Homo, quis erit? nam ſe ignorare*; *etiam per eundum Imperium Romanum ſublatum eſſe, & ad Francos, deinde ad Germanos, nomine tantum, tranſlatum*; *& a ſe ſibi omne Ius Imperij uſurpatum: quod ſi vera ſint prædicta, vide quis iſte Homo ſit, &c.* Ad hos omnes Articulos, qui numero centum quinquaginta duo, inſtantiſſime petijt Sonnius, ut intra pauciſſimos dies Angelus brevibus reſponderet. Et licet propter multos varioſque morbos, quibus vexabatur (videlicet Dyſenteriam, Tenaſmonem, & Febres) non tam commode copioſeque, & abundanter reſpondere, ſimul & reſponſiones extenſius ſcribere, parareque poſſet, vacuus etiam carenſque libris; coegit tamen & vehementius inſtitit Sonnius, ut probandis ſtabiliendiſque ſingulis paucula ſaltem adſcriberet: quod fecit; mentiſque ſuæ, Scriptorumque a ſe rationes indicatas (quas recuperatis Biblijs, alijſque quibuſdam libris, pleriſque in Locis non multo poſt auxit & illuſtravit) Sonnio tradidit: teſtatus in fine

Defenſiones Angeli ad Articulos propoſitos, cum Speciales, [marginal notes]

fine omnia ſe tam ad Libellum *Interim*, quam Epiſcopum cIↄ Iↄ LIII.
Canarienſem, & alios conſcripſiſſe in nullius opprobriũ; ſed
tantũ in Veritatis amorem & indagationem; eaque ſe ne-
mini oſtendiſſe umquã, vel obtuliſſe, aut cum aliquo de ijs
diſputaſſe: arbitrari ſe, ſibi, ut alijs omnibus Eccleſiaſticis, tum Generales.
libertatẽ hãc Defectus, Abuſuſque, quos in Chriſti Eccleſia
avebat, ſi quis alius, emendatos, notandi datam conceſſam-
que ab Concilio; quod primo Piſis, hinc Vincentiæ, poſtre-
mo Tridenti ante paucos annos fuit indictũ, anno vero ſu-
periore poſt Conſeſſus aliquot arcano Dei conſilio diſſipa-
tum, quod cum Liberum, omnibuſque patens eſſet procla-
matum; & permiſſurũ videretur, ut quiſque ſuos ibi in Re-
ligionis negotio animi fluctus, nubes, tenebraſque in aper-
tũ Libere, inculpate, & ſine ullo periculi ex libertate mana-
turi metu proferret; ſibi ſane crimini vel vitio non eſſe ver-
tendum, quod quædam inter ſe Deumque conſignarit, me-
moriæ juvandæ cauſa, maxime quũ tunc intelligeret, velle,
urgereque Præſulem Trajectenſem, quin etiã Archiepiſco-
pum Colonienſem (Sonniũ enim hoc non ignorare) ut In-
ferioris Germaniæ nomine cũ alijs aliquando Concilo in-
tereſſet; quibus ſane (nam optaſſe ſe ſemper illud ob vari-
as cauſas) morem quam libentiſſime geſſiſſet, niſi ſenio,
morbiſque diverſis, ijſque adſiduis, fuiſſet præpeditus: quod
quum animadverteret, & occaſionem illam ſibi ereptam
videret, & doleret; cœpiſſe ſe plura ſcriptis mandare; ut
quum præſens adeſſe Patribus voce non poſſet, abſentem
ſe calamo tanquam diſputatorem immiſceret; ſolutoque
tandem Concilio, quid permiſſum, quid ſecluſum, quid
denique deciſum, majore cum fructu cognoſceret. Iam
vero quod acerbiorem ſe geſſerit in Libellum, qui *Interim*,
dum Concilium certi quid diffiniret, foret per Imperium
terraſque Cæſaris hæreditarias ſervandus: notum eſſe ait,

 cum

cIↄIↄLIII. eum neque ab Cæſare ipſo, neque ab alijs in utraque Germania magnopere obſervari: Reformationis quoque per Provincialem Colonienſem in has regiones miſſæ, & per Trajectenſem diſtributæ, quamvis etiam Litteræ ab Cæſarea Majeſtate, quibus ea confirmetur, comitentur, non magnam tamen haberi rationem; quod ſi tamen bona eſſet, non temere fuiſſe omittendam: immerito ergo ſe Pravitatis Hæreticæ inſimulari, quod contra tales vel Conſtitutiones, vel Libellos, vel Reformationes, quocunque tandem nomine ſint appellandæ, ſuam quoque Cenſuram & Præſumtionem oppoſuerit; Philoſophum recte dicere, *Propter noſtrum vel adfirmare vel negare, nihil in re mutari.* Quod cum ad alia, tum ad Philippicas Canarienſis Annotationes, Paulum Apoſtolum præſcribere, *Omnia probanda eſſe; quod bonum eſt, tenendum.* Si quis objecerit de nominibus Papiſtarum *Hypocritis*, *Theologaſtris*, & alijs id genus; hæc & ſimilia non concernere Hæreticam Pravitatem: alioquin Hæreticiſſimum omnium eſſe & fuiſſe Eccium: ejus enim Reſponſiones ad Bucerum hoc ſatis oſtendere; Eccium tamen non culpari: ſed & alios etiam inſpiciendos eſſe Antiquos Doctores tempore Arrij, Gregorium Nazianzenum, Athanaſium, Cirillum, alioſque Eccleſiæ Patres, Arrianos hic *ſtultos homines*, illic *Cayphæ Diſcipulos*, alibi *Novos Iudæos*, *Atheos*, *Chriſtomachos*, *Blaſphematores* dicere & nominare; non eſſe in omnium ore, ſemper benedicere, non omnium in poteſtate ſitum, ſine adfectu, aut cordis Zelo, omnia poſſe ferre. Dum circa Articulos Angelus eſſet occupatus, Sonnius apud Dynaſtam ejuſque Conjugem, & Familiares, alioſque, multis eum probris & infamijs lacerabat, ut juſta cenſeretur, & laudaretur etiam violenta ejus Captivitas: criminatus eum eſſe & fuiſſe Sacramentarium, Miſſam violaſſe, multos an-

Sonnius Angelo multis calūnijs onerato.

tos an-

cIↄ Iↄ LXII.

tos annos numquam conſecraſſe, ſuoque Populo, commiſſoque Gregi Panes non conſecratos in Sacramentum diſtribuiſſe, & alia hujus modi, ut qui audierunt, conviciantique in prandio cœnaque adſtiterunt, teſtantur. Et quum ipſe omnia recte ſe inchoaſſe, ſuæque Inquiſitionis juſtæ (ut videbatur) fundamentum firmum ſe poſuiſſe exiſtimaret, acceptis [a] Angeli ad Articulos omnes Reſponſionibus Trajectum redit, dicens ſe poſt ſex vel octo dies reverſurum; artiſſime præcipiens Captivum cuſtodiri, utque nullius pateret ad eum acceſſus: quod Dynaſta, licet ſequius optaſſet, religioſe coactus eſt obſervare: relicto ipſi quodam ex Sorore Filio, qui, ubi opus, Avunculo inſerviret. Nam prohibitus etiam Patruo adeſſe Gulielmus Merula precibus ab Dynaſta (qui, quam Animarum Tutores, ut dici haberique volunt, æquiorem ſe præbebat) impetrarat, ut is in locum ſuum ſuccederet; alioquin deſtinata jam illi erat Ancilla; ut eo ſtratagemate ſcribendi auxilium, quod ex Guilielmo præſertim habebat, Seni invalido varijſque adfecto morbis eriperetur. Sic ibi manſit circiter ſex ſeptimanas. Quum duobus etiam octiduis elapſis adhuc tardaret Sonnius, illud moliri cœpit, ut miſſo [b] in Heenvlietenſem pagum ſuo Fiſco, Trajectum tranſportaretur Captivus. Sed Cruningius huic ejus petitioni adſentiri noluit. Tandem tamen admonente Maximiliano Burgundo Hollandiæ, Zelandiæque Præfecto (qui Hagæ tunc temporis ob negocia publica erat) inito conſilio cum Senatu Provinciali conveniunt, ut iſtic in communi Captivorum Carcere, (quæ Porta Anterior vulgo audit) Cruningij nomine detineretur, & cuſtodiretur; eo magis, quod ipſi animus eſſet & feſtinaret intereſſe militiæ Cæſareæ apud Morinum, quam ob rem e veſtigio mittitur in Pagum Heenvlietenſem Nuncius juratus Curiæ Hollandiæ, qui

a *Apr.* XXVIII acceptiſque ejus ad Articulos Reſpõſionibus, Trajectum redit; relicto Reo in artiſsima cuſtodia.

Angelus, quem Sonnius Trajectum tranſportare volebat,

b *Mai* XIV. volente Hollandiæ Præfecto

 Capti-

cIↄ Iↄ LIII. & adnuente Cruningio. per Nuntiū Iuratum, a *Iunij* VII.

Captivum Hagam traduceret. Eius adventu cognito, jubetur eveſtigio [a] ſiſti Cymba, quæ Nuncium advexerat, ſed jam a terra ſolverat; Reliquæ item, quæ plures adpulerant, ſimiliter ſiſtere curſum juſſæ, ultra mandatum Principis abnavigarunt, quum etiam Nautæ Heenvlietenſes ad Paſtoris ſui avectionem adduci non poſſent, nec minis nec blandis verbis; tandem extraneus quidam, eorum quæ gerebantur, neſcius advenit, qui id oneris ſuſcepit, licet, rumuſculi non nihil percipiens, coactus: ſeriuſque operam, quam addixerat præcipitantius, addictam nolens. Sic ad horam poſt mediam noctem primam vel ſecundam intrat Cubiculum, quod in arce Captivus aliquamdiu habuerat, Prætor pagi Adolphus Rutenbergius, comitatus quibuſdam Aulicis & duobus ſatellitibus Prætoris Geervlietenſis; dormienteſque & Captivum & Nepotem ejus Guilielmum Merulam (qui præcedente veſpera ſucceſſerat in locum alterius, ut abducendum comitaretur) excitat, ſurgereque jubet imperioſe ſatis & auſtere; ſtatimque magno obſeſſi ſatellitio Aulæque miniſtris in Cymbam deſcendunt. Sic inde ſolventes magnis cymbæ curruſque agitati periculis, atque incommoditatibus poſtridie [b] veniunt Hagam; & ingreſſi primum Hoſpitium, ad nonam horam veſpere Portam Captivorum aſcendunt; ibidemque ſolus, recedentibus reliquis, remanet Angelus cum Guilielmo ſuo Merula, qui ipſi adeſſet, diſponeretque ejus negocia, ubi opus eſſet; attribuente illis duo cubicula Commentarienſi Petro Andreæ F. Couwenhovio Bruxellenſi. Sequenti [c] die venit in carcerem Sonnius ad Captivum inviſendum, moxque [d] incipit cum illo de quibuſdam conferre; adferenſque ſecum ſeptemdecim priores Articulos, in medium produxit duodecimam in ijs propoſitionem, qua dicebatur, *Nihil aliud debere nos credere, quam quod Verbo Dei,*

intempeſta nocte

b *Iunij* VIII.

Hagam ducitur in Portam Captivorum.

c *Iunij* IX.

Sonnius Carcerem ingreſſus cū Angelo Diſputationem orditur.

d *Iunij* X.

bo Dei, hoc eſt Scriptura Sacra continebatur: clamans, illam eſſe pernicioſam, & debuiſſe Captivum addere, ſuoſque admonuiſſe, *præter Sacram Scripturam eſſe adhuc Verbum Doctrinæ, quo, uti ipſe dicebat, inſtructi & docti fuerant Antiqui Patres, anteaquam Scriptura exſtaret:* quumque Angelus refragaretur & contradiceret; adſerens, ſe ſufficienter ſuos inſtituiſſe, ut Soli Scripturæ fidem haberent & adhiberent, atque ea contenti eſſent; plura niſus eſt adducere Sonnius, ut quod adſeverarat, Articulum illum eſſe pernicioſum, confirmaret & adjuvaret. Tandem multis hinc inde collatis, promittit Angleus ſe ſuper ea meditaturum & ſcripturum aliquid, typiſque traditurum. Mox[a] Sonnius videns ſe nihil ibi lucrari poſſe, diſcutiendum proponit Articulum XIV, quo Captivus adfirmabat, *qui alia vota vovet, quam Scriptura docet, non vovere decenter*. In quo dum ſunt, ſuperveniens[b] Ruardus Tapperus Enchuſanus, Primarius Inquiſitor, Magiſter noſter, & Academiæ Lovanienſis Cancellarius, & Decanus ibidem S. Mariæ, duobus comitatus, nunciari jubet tangi ſe deſiderio inviſendi Cōfratris ſui; deſignans Angelum Captivum ob ſtudiorum, honorumque per ea partorum ſimilitudinem. Accerſitum igitur in Cameram, ut dicebatur, Inquiſitionis, humaniſſime ſalutat, cumque eo multis verbis conferre incipit: Diſputatum eſt in horam XII. de *Cultu Sanctorum*. Et hic ſatis convenire videbantur, adeoque non multum diſcrepare, ut Ruardus exclamaret, *Meus es*; addens oſculum. Inter multa monuit Articulos quidem plurimos eſſe, ideoque ſe nolle eos legere; optare autem, ut in brevem ſummam conijciantur; ſic enim facilem futuram collationem, meliuſque ſe mutuo intellecturos. Ad quod reſpondit Angelus, ſe etiam idem optare, & incepiſſe jam quoſdam in unum conſcribere; quibus, paucis admodum, omnes

[a] *Iunij* XIII. Accedit Angelum Ruardus,

[b] *Iunij* XV. *hora* X. *ante prandium.*

cumque eo de multis confert.

cIↄ Iↄ LIII. fere centum quinquaginta duo includerẽtur. Rogat Ruardus, ut illos produceret; ſe, licet pluribus impeditus eſſet, ipſius tamen gratia, ſi vellet, permanſurum, inquiens. Quod Angelus etiam atque etiam petijt: ſe gratum fore pollicitus & Honorarium præſtiturum, ſi per aliquot dies ibi moraretur. Manſit igitur ſextiduum. Eodem [a] die poſt prandium redijt Ruardus cum Sonnio ſolo, inter quem & Angelum magna fuit de quibuſdam Fidei Articulis diſſenſio. Sequenti [b] die obtulit Angelus Ruardo duodecim Articulos, quibus complexus erat Fidei ſuæ profeſſionem, in qua mori deſiderabat. Eos, quod ſuperiorum omnium, ut ita loquar, ſint medulla, brevitati ſtudens hic prætereo: ut & ſex Propoſitiones, quas Ruardus poſt lectos duodecim Articulos Angelo oſtendit, deditque probandas: quod facturum ſe non gravatim promiſit, modo primæ deferrentur partes Sacræ Scripturæ etiam contra Concilia. Verſabantur illæ plurimum circa Conciliorum & eorundem diffinitionum Auctoritatem, Traditionumque vim & efficaciam. In ijs ſextam, locoque poſtremo ſcriptam, Ruardus Angelo propoſuit profitendam; adfirmans, ſi eam obſervaret, & profiteri non gravaretur, ipſum non poſſe Hæreſeos convinci, vel ut Hæreticum condemnari. Ea ſic habebat: *Paratus ſum ſequi quidquid in Concilijs legitime in Spiritu Sancto congregatis diffinitum eſt, vel diffinietur ſecundum Scripturas; quanquam non intelligam quo modo & qualiter ex Scripturis eliciatur diffinitio: & ſimiliter paratus ſum ſequi Iudicium & Sententiam Paſtoris, & Superioris mei in quæſtionibus controverſis; modo Iudicium & Sententia eius non adverſetur Scripturis.* Sed erant in ea, ut & in reliquis quinque, quæ probare Captivus bona conſcientia non poterat. [c] Quia vero initium Diſputationis inter Ruardum & Angelum factum fuerat ab Cultu & Veneratione Sancto-

[a] *Poſt prandium hora* V.

[b] *Iunij* XVI.

[c] *Iunij* XVIII.

Sanctorum: Ruardus Angelo bene prolixam ſcribit [a] epi- cIↃIↃLII.
ſtolam; eaque varijs modis ſe torquens perſuadere nititur a *Iunij* XIX.
Sanctorum defunctorum Invocationem: petens ſimul, ut quæ in ſua Fidei Profeſſione & contra Propoſitiones ſex, oppoſitas quaſi, adduxerat, relinqueret; ſequereturque ipſius Conſilium & Monitionem, niſi vellet Hæreticis adcenſeri: Cui reſpondens [b] Angelus, brevibus ex Sa- b *Iunij* XX.
cra Scriptura Veterumque Patrum dogmatibus probat, *Solum Deum eſſe invocandum*; refutatis valide, quæ in medium attulerat Ruardus: Concludens, ſe libentius a mundo velle reijci, vel, ſi ita opus fieri, ut Hæreticum cenſeri, dicendo illum invocandum Solum, qui in omnes ipſum invocantes dives eſt; quam magnum haberi, ipſum relinquendo, docendoque Pauperes, quique a ſe nihil habent, & ex ſe nihil retribuere poſſunt, quum ſine Chriſto nihil omnino queant, Sanctos ſcilicet defunctos eſſe invocandos. Poſt hæc, paulo ante quam diſcederet, [c] aliud c *Iunij* XXI.
Angelo ſcriptum Ruardus exhibet de Sanctorum Invocatione; prælectumque relinquit ipſi exſcribendum, ut illi ſe conformaret. Cujus audita Angelus continentia, nulla uſus Circuitione, quod flagitabatur facere prorſus renuit.

Reverſo ad ſua Ruardo ſuccedit rurſum contra Angelum Sonnius:

Profecto Ruardo, redit ad Angelum Sonnius, cumque eo eadem fere de re, de Sanctis, inquam, aliquo modo in ſuo ordine (ad hanc enim moderationem tandem ab Inquiſitoribus ventum erat) invocandis agit. Sed omnia fruſtra: nihil Angelo limitationum, nihil diſtinctionum hac in re admittente.

quo ejuſque Collegis iterum, ut Angelus: Trajectum tranſportaretur, molientibus,

Sonnius, vocatique ab eo in auxilium Suffraganeus Paſtor Harlemenſis, & Hermannus Beatæ Mariæ Trajectenſis & S. Ægidij Abbenbrocij Decanus, Theologiæ Doctores (qui Hagam venerant, ut cum Inquiſitore Cauſſam Captivi terminarent) viſis lectiſque multis ejus ſcriptis & reſponſis partim ad c LII Articulos, ijſque auctis

jam

IↃIↃLIII. jam & recognitis;partim ad Scripta Ruardi Tapperi,quum animadverterent ſe, quæ Captivus adſerebat, minime refragari poſſe,vel auctoritatibus Scripturæ meliorumque Patrum convincere : ad alios ſe convertentes aſtus, ſexto [a] Kal. Quintilis Libellum ſupplicem Senatui Provincialis Curiæ offerunt : petentes, ut Reum ſibi liceret Trajectum abducere. Senatus,quum hæc manus injectio non ipſius mandatu eſſet facta, interpellandum cenſuit, cujus quaſi juſſu & imperio procurata erant omnia, Cruningium; qui Cæſari contra Gallorum Regem militabat. Sonnius interim, quum ultima [b] Iunij Marinum quendam, Paſtorem Zuytlandiæ, ad revocandum Articulos ab ipſo adſertos adegiſſet: profectus cum eodem Dordracum, ubi in novo templo Paſtorem olim egerat, ut ibi etiam retractaret, Trajectum inde eſt reverſus. Cruningius acceptis ab Curia Hollandiæ litteris,reſcribens ſe non poſſe renuere Sonnij reliquorumque petitionem, conſentit, ut Haga Trajectum aveheretur. Quod quum audiſſet Angelus, multique diſſuaderent, neque conſentiri ab ipſo ullo modo vellent propter varia pericula, quæ dicebant ab Clero Trajectenſi imminere, quamvis Sonnius ejuſque Fiſcalis Lupus multa promitterent, ſtatuens ijs non credere, fore tutius arbitratus eſt Hagæ, ubi omnia ab Adverſariorum technis & inſidijs eſſent tutiora, manere : quod ut Patruus conſequeretur, Ordinibus Hollandiæ, qui tunc convenerant, Libellum exhibet [c] Guilielmus Merula : ut quam quondam in ſimili cauſa Cornelio Honio præſtiterant, opem darent; neve Captivum contra Privilegia tranſportari ſinerent in aliam Provinciam; quum Hagæ paratus eſſet reſpondere facereque, quæ fieri flagitaret neceſſitas. Ordines, viſo Libello, ſtatim nunciari jubent imperarique Cuſtodi carceris, ne Captivum dimitteret, vel pateretur abduci quo-

[a] *Iunij* XXVI.

[b] *Iunij* XXX.

quāvis Cruningius adnueret,

tamen, ſupplicante Gulielmo Merula,

[c] *Initio Iunij*.

obſtant Hollandiæ Ordines.

cIↃIↃLIII.

quoquam præter ipſorum conſenſum ; Declarantes ſe futuris proxime Comitijs ea de re plenius deliberaturos ; quodque juris eſſet, & quod æquum videretur, conſtituturos : Litteraſque ſimul Præſidi Concilioque mandant ut cum Libello ſupplice reliquiſque, quæ eo pertinebant, Trajectum mitterent per Fiſcalem Lupum, qui eo tempore advenerat, Captivum ſperans ſecum, quod deſtinarat Sonnius, abducturum ; ſed pudore confuſus dolenſque ſibi prædam hanc eripi, Domino quæ optarat, ſed aſſequutus non fuerat, relaturus, Trajectum recurrit. Sonnius, ſpe ſua Trajectum abducendi Angelum dejectus, derelicto quaſi aliquamdiu Captivo, mœſtus dierum aliquot ſilentiũ ſibi imperarat: tandem,[a] datis per Fiſcalem Lupum litteris, *Dolere ſe*, ſcribit, *quod tardiorem ipſum inveniret ad adquieſcendum ſaniori conſilio : Noſſe illum, qui ſcrutatur corda ſingulorum, non aliam ob cauſam petitum fuiſſe ab ſe ſuiſque Collegis, ut Traiectum adveheretur, quam ut commodius poſſit paucioribuſque ſumtibus loco Domicilij ſui de erroribus ipſi obiectis inſtrui : verum cum reluctetur, aliudque ab Ordinibus Hollandiæ ſtatui curarit, ſe nolle adſlictionem addere adflicto, ſed obtemperaturum ſe ipſius votis, venturumque ad ipſum mox, ubi reverſi fuerint illi, quos Ordinarius* (deſignat Ruardum Tapperum) *in hac cauſa ſibi adiunxerat ; ſe credere, eos intra quindenam adfuturos : interea temporis Deum inſtanter oret, hortatur, ut ſenſum aperiat, mentemque illuminet, quo poſſet in Scripturis eam videre veritatem, quam Spiritus Sanctus docere voluit, non quam quiſque ſibi præſumit : neve innitatur ſuo ſolius, ſed communi totius Eccleſiæ iudicio ; eam eſſe Matrem omnium, eam Sponſam Chriſti, eam inſuper Columnam & firmamentum Veritatis*. His, quo die[b] & hora acceperat, per eundem Lupum reſpondens Angelus, gratijs pro commiſeratione curaque actis, *Noſſe*, ait, *Altiſſimum*,

Sonnij ad Angelum Merulam Litteræ.
a *Auguſti* I.

Angeli Merulæ reſponſum.
b *Auguſti* II.

cIↃ IↃ LIII.

mum, quibus adſligatur; omnino ſe ſcire, vix fieri poſſe per Morbos varios, ut Traiectum vehatur: quod admoneat horteturque, ut melius ſapiat videatque errores ſuos, *videre ſe non poſſe*, inquit, *qui ſint illi; eam ob cauſam, quod nullus adhuc obiectus ſibi ſit error, quem & Sacra Scriptura & auctoritate Eccleſiaſticorum Doctorum ſcriptis non eluerit, & Deo dante, paratus ſit eluere: de Invocatione Sanctorum tantum aliquid tractatum eſſe, ſuam quidem Conſcientiam Verbo Dei Doctorũque Sententijs munitam nihil adhuc errorum invenire; ſi quos compererit, ſe, quum convenerint (id autem ut intra paucos dies fiat, ex animo optare) effecturum, quidquid cum Deo & Verbo eius ſuaque Conſcientia efficere poſſet ſalva. Deũ interim ſemper & ſine intermiſſione oraturum ſe, ſuam ut illuſtret mentem veritate, quam omnis Terra invocat: De eius Miſericordia & Gratia confidere ſe, quod in Laudem & Gloriam Nominis ipſius futurum omne id, quod de ſe Dominus Deus & ordinarit, & fecerit; ſcire ſe Verbum eius neminem fallere, neque per id quenquam falli poſſe, modo ſincera Fide eidem adhæſerit: ſic ſe facere facturumque, niſi Spiritu Sancto deſtituatur, Deum autem numquam id facturum, ſed neque facere poſſe ei, qui ipſius Promiſſione & Veritate ſe fulciat.*

a *Auguſti medio.*

Theologi ab Inquiſitoribus ad examinandum Captivi Negocium delegati, viam Rationemque quærũt, qua cauſſam honeſte deſerant.

Elabitur [a] interim tempus, quod Sonnius non unis ad Angelum Merulam litteris præſcripſerat ſuo in Comitis Palatium reditui: quo nondum veniente, fama percrebreſcebat, ipſum Suffraganeum & Decanum S. Mariæ Trajectenſis, de quibus dixi, quin & Doctorem Rumelerum, examinatis penitus centum & quinquaginta duobus Fidei Articulis, quos adverſus Angelum conquiſierat cum ex Auditorum ipſius relatione, tum ex varijs ejus Scriptis Sonnius, nolle ſe Cauſæ tam gravi tantæque difficultatis immiſcere. Et ſic totum negocium ad multos dies fuit dilatum. Interim rumor etiam ſpargi cœpit, Epiſcopum Traje-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Trajectenſem eadem de re ſcire velle, pollicerique favo- cIↃIↃLIII.
rem in ea benevolentiamque Captivo propter ſenium a-
liamve legitimam cauſam, Merulis, tunc quidem, non
ſatis cognitam. Quod intelligens Angelus Trajectum ad
eundem mittit Ioannem Laurentium, cujus antea men-
tionem feci, Guilielmi Merulæ Fratrem uterinum, cum
ſuis Articulis alijſque quibuſdam Scriptis; ut accedens
Præſulem, ſcrutaretur, an qua via ejus opera poſſet evade-
re, carcereque liberari; paratus nihilominus reſpondere
objectis & obijciundis. Verum, quum ab Angelo legatus
eo veniſſet, Antiſtes peregre erat apud Sororem in Loeſ-
dunenſi Abbatia: unde reverſus Hagam, ſequenti diluculo
Trajectum redijt. Sic fruſtratus illo tempore conatu ſuo
(ut majorem, invitis etiam Inquiſitoribus, ex carcere glo-
riam conſequeretur, & æterna ſuæ Conſtantiæ figeret
Trophæa) Angelus, Deo, ſanctæque ejus Voluntati rem
totam & omnia ſua committens, ad meditandam conver-
ſus, ſolidiſſimum conſignat Scriptum de Cultu & Invoca-
tione Sanctorum abolenda; hæc enim quæſtio magnis vi-
ribus inter ipſum & Inquiſitores Ruardum atque Son-
nium non ſemel jam fuerat in carcere validiſſimis diſpu-
tationibus agitata: Angelo ſolum Deum; Inquiſitoribus
præter Deum Sanctos etiam defunctos, quodam modo &
in ſuo ordine invocandos, cenſentibus. Eo abſoluto, Son- Angelus ſcribit
nioque (qui cum litteris, tum verbis ſe venturum brevi
jam aliquoties addixerat) neque ſiſtente ſe, neque etiam
ſcribente, ſed in omnibus fidem fallente, Ioannem Lau-
rentium, quem ſupra nominavi, iterum cum ſcripto, cujus
memini, Trajectum mittit, & ad Sonnium, & ad Herman-
num Decanum Sanctæ Mariæ, quem Sonnij Collegam
in cœpta cauſa fore didicerat: additis etiam ſuis ad utrum- & ad Sonnium,
que litteris. Prioribus, [a] ad Sonnium datis, *mirari ſe* ſigni- [a] *Sept.* XXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↄ Iↄ LIII. ficat adventus ipſius cum ſuis Delegatis tarditatem & procraſtinationem: exſpectaſſe ad illum uſque diem vel ipſius reliquorumque præſentiam; vel, quid moram cauſſaretur, indicium: Multa ferri ſpargique a pluribus; ſed ſi in hominum verbis fides, & addictis promiſſiſque adhibita fuiſſet conſtantia, ante multos dies cauſſam hanc ſopiri terminarique potuiſſe: dolendum, fidem nuſquam eſſe firmam, & meram ubique inconſtantiam: Quia vero forſitan maiorem probationem deſiderare poſſent præſentes, negocio manus rurſum admoturi; ſe, ne propter ipſorum moram nihil ageret, quædam quatuor ſummis capitibus, de abolendo Sanctorum cultu ſcripſiſſe, eaque ad corroborandam manifeſtius Solius Dei Chriſtique eius Invocationem, mittere; reſponſum autem ipſorum ad ea, vel emendatiorem contrariæ ſententiæ ſecundum Scripturas probationem ſe quam libenter ſuſcepturum; Deoque & Chriſto eius opitulante, ſi neceſſe, refutaturum: credere autem in illis ſe oſtendiſſe tam patentem Solius Dei Chriſtique eius cum invocandi, tum adorandi veritatem, ut impoſſibile cenſeat cum Dei Verbo aliter quem ſentire, aut ab aliquo ſentiendum eſſe in Salutem: Habere ſe alia præ manibus propter ipſorum moram; ſed nondum omnino parata, de Iuſtificatione, quæ fit per ſolam Fidem, de Mediatione, & Advocatione Chriſti Ieſu, & id genus alia, ſi opus fuerit, ipſis præſentibus exhibenda, Chriſtum eiuſque Spiritum plura ſuggeſturum & inſpiraturum; ſe ſane non Errores fovere, ſed omnia in Dei Gloriam & Veritatis patefactionem feciſſe, & ſcripſiſſe: rem ipſam ſatis hoc clamare; ne crederent quod ſcribendo vel terreatur vel fatigetur; ſed potius, quod hac ratione in gaudium cordis ſui maius, Chriſto & Spiritu eius adiuvante, excitetur: Se enim audire quotidie Spiritum Dei in ſe loquentem, quique ipſius infirmitatem exhortetur & exſtimulet ſalubribus monitis, Noli timere, quia

ego

ego ſum tecum: Ne declines, quia ego Deus tuus; confundentur & erubeſcent omnes, qui pugnant adverſum te: *His excitatum metu deinceps non trepidaturum, ſi quid forte faciat Homo, quum Dei Verbo innitatur, Dominuſque per illud ſit adiutor; ſe ob id deſpecturum omnes inimicos ſuos, eoſque, quibus iuſtam ob cauſam, quam tuendam ſuſcipit, eſt odio: optare ſe nihilominus, ſi ad illud humanitatis adduci poſſent Adverſarij, Carceris, in quem innocenter coniectus, ſolutionem & dimiſsionem, Hoſpitijve commodioris in Hagienſi Curia deſignationem, propter incommoditates plurimas varioſque ſuos per ſenium & continuam Dyſenteriam defectus; ne fugam ipſius metuendi habeant occaſionem, ſe ſatiſdaturum abundeque cauturum, quod præfiniti loci terminis pedem non ſit moturus: Hoc ſi fecerint, Clementiæ laudem ipſos inde conſequuturos, ſin minus, permittere libenter ſe ſuaque omnia optimæ Dei Voluntati; ſe enim ad amplificandam Nominis Ieſu Chriſti Domini ſui Gloriam, paratum eſſe & in carcerem & in mortem ire; ne vitæ quidem ſuæ ſe parciturum, dummodo ſancte conſummet curſum ſuum, Gloriamque vindicet per Scripturas Sacras Dei Dominique ſui Ieſu Chriſti: hoc unum interim ſe ipſos conteſtari ſimulque adiurare per Dominum, ut ſecundum ſeverum Ieſu Chriſti mandatum, Alij ne faciant, quod ſibi fieri in ſimili cauſa nollent.* Poſteriores [a] ad Decanum ejuſdem fere erant argumenti, Inter alia, *Se*, ait, *petente Cancellario Lovanienſi Ruardo, omnes Articulos, inconcinne & incompoſite ab Sonnio hinc inde conſarcinatos, in duodecim counijſſe: ex ijs de Invocatione Dei Solius & Chriſti eius præcipuum eſſe, in eo ſe laborare & ſudare, minimeque Dei gratia defatigari; collegiſſe iam quæ mittit pro Dei & Chriſti eius defendenda & adprobanda Veritate: ad manus habere alia perficiunda, & præſentibus, ſi viſum operæ pretium, oſtendenda: ſe iuſtam, nam Ieſu Chriſti, cauſam fovere: rogare eundem, ut in Nominis ipſius Gloriam*

ꟾↄ Iↄ LIII.

& ad Hermannum Decanum S. Mariæ; a *Sept.* XVIII.

ↀↃↃ LIII. *iuſto Dei iudicio terminetur; ſe totum eidem eiuſque militiæ deditum, accinctum iam ſtare, ſive in vitam, ſive in mortem paratum; non aliam ob cauſam, quam ut Dei Nominis Gloriam vindicet a Creaturis, inque ipſum Solum invocandum & adorandum, omnes homines promoveat.* Conteſtationem etiam in harum calce, quam in Litteris ad Sonnium, addit, *adiurans Caritatem, quam mandavit Chriſtus, obſervandam; ut quod in ſimili cauſa ſibi fieri vellet, idipſũ Captivo quoque præſtaret & faceret.* Scribit [a] item Litteras eodem de negocio ad Gregorium Egmondanum, Epiſcopum Trajectenſem, ſi forſitan ab eo aliquid ſubſidij provenire poſſet, *Deo procurante, & non,* ut ait ipſe, *alias: Cogi ſe*, inquiens, *in ſuis miſerijs varijſque calamitatibus compellare ipſum, qui Officij ratione adflictorum oppreſſorumque Pater, Rector, & Conſolator conſtitutus eo fini, ut iuxta Paullum univerſo intendat Gregi, quem Chriſtus Ieſus ſanguine ſuo adquiſivit: rogare ſe, ut, ſi fieri cum ipſius honore queat, aliquid vel ſubſidij vel præſidij adferat, inhibeatque (quum Inquiſitores ſine Loci Ordinario Præſule nihil attentare vel poſſint, vel debeant, maxime in Sacerdotes) ne tanta atrocitate & rigore contra ſe (nihil tale meritum) Sonnius, mendace præſumptione & pernicioſa ſui ingenij opinione perſuaſus, vel ſaltem quorundam malevolentia inductus, procedat: obferre, & iam dudum obtuliſſe ſe Sonnio paratum cunctis & ſingulis reſpondere, Fideique ac Spei ſuæ iuxta Petri doctrinam, rationem reddere; ſubijcere, & ſubieciſſe ſe, & ſua omnia omnibus ſinguliſque, iuxta Sacram Scripturam melius ſentientibus, corrigenda & emendanda: Hinc conſequi, contra ius & æquum fieri, quod ab Adverſarijs cenſeatur Hæreticus, quodque in bona paſſim ipſius ita cum magno damno, ingentique ſcandalo debacchati fuerint, tanquam in reiecti, condemnatique Hæretici facultates: ea violentia, infamiaque nihil poſſe excogitari atrocius: Euangelicam Veritatem*

ad Epiſcopũ item Trajectenſem.
a Eodem die.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

tem velle; ut, ſi peccaverit Frater, alter alterum corripiat, a- cIↄIↄLIII.
manter, privatim; hanc Chriſti Monitionem in ſe numquam
fuiſſe factam, ideoque ſecundum Chriſti Mandatum quidquid
actum, eſſe nullum: Sonnium enim, quum ſe profiteatur Theo-
logiæ Profeſſorem, ſcire debere, vitam ſibi vivendam eſſe Eu-
angelicam, referendumque verum Apoſtolum, qui ſui Domi-
ni ac Magiſtri non debet deſerere Iuſſum; quod quum Sonnius
non obſervaverit, merito quicquid in hoc negocio huc uſque e-
git, vel poſt hac acturus, nullarum eſſe futurumque virium,
irritum & inane: Paullum Apoſtolum monere, nequis contra
Preſbyterum Accuſationem recipiat, niſi ſub duobus aut tribus
teſtibus; ſe quidē nullum vel vidiſſe, vel audiviſſe umquā, qui
Fidei ſuæ aut Spei, tam in vita, quam in prædicatione rationem
in controverſiam vocarit, vel de ijs querelam inſtituerit: Oc-
caſionem porro faciendi ſcribendique quæ fecit ipſe vel ſcripſit,
dediſſe primo Concilium, quod inſtabat, quoque omnes libere
ſententias ſuas in rebus controverſis dicturi videbantur invi-
tandi: Deinde Cæſareæ Maieſtatis Declarationem, quo modo
in negocio Religionis uſque ad diffinitionem Concilij Generalis
vivendum eſſet: Archiepiſcopi denique Colonienſis per ſuas
Provincias Reformationem. Probaturum, poſt hæc addit,
nihil ſe ſcripſiſſe vel docuiſſe, niſi quod Sacræ Scripturæ con-
ſentaneum; nihilque ſe, & in nullo ab Eccleſia Chriſti Catho-
lica deviaſſe: obtuliſſe ſe non ſemel & adhuc obferre Sonnio,
alijſque quibuſcunque ſua Scripta & præcipuos Articulos (Ruar-
di ſupremi Inquiſitoris petitione in XII, *qui alios omnes fere*
comprehendunt, collectos) paratum, videntibus & audientibus
omnibus, ad reſpondendum; ſed in ſcriptis, propter ſurditatis
vitium; & etiam nunc per præſentes ſubijcere ſe ſuaque omnia
cunctis & ſingulis, rectius ſecundum Sacram Scripturam ſen-
tientibus, emendanda: Non abnuere ſe ſequi quicquid in Con-
cilijs legitime per Spiritum Sanctum congregatis ſecundum Sa-

cras

cIↄIↄLIII. *cras Scripturas vel diffinitum jam eſſet, vel deinceps definiendum; velle item ſubijcere ſe judicio ſententiæque Paſtoris & Superioris ſui in Quæſtionibus controverſis, dummodo Sacræ Scripturæ non adverſetur. Ex his pleniſſime conſtare omnibus judicio præditis, ſe numquam poſſe convinci Hæreticum vel Erroneum; nihilominus, quamvis penes Sonnium ſint tam multa ſua ſcripta, quæ Cauſſæ juſtitiam teſtari poſſunt, ſedere ſe incarceratum non ſolum bonis multatum, verum etiam in infinitas coniectum expenſas; Eccleſiæ ſuæ Grege miſerabiliter diſperſo, populoque per devia vagante, contraque Sonnium mumurante; haberi ſe tractarique tamquam Latronem maleficum, Hæreticum condemnari dignum, omnibus & Angelis & Hominibus cum Paullo Apoſtolo ſpectaculum; multos ſolum in ſinu ſuo portantem ſenectutis varioſque (propter loci incommoda, paucis nota) ac in dies creſcentes defectus, cum continua Dyſenteria ac tenaſmone, morbo ſenibus valde gravi ac moleſto; ea omnia Sonnio ſatis eſſe nota, ſed inmiti & atroci Viro, qui Senio non condoleat, neque miſericordiam impartiatur. Se igitur ab ipſo opem petere & exſpectare; rogare ut canos ipſius & calamitates ſortemque miſerans carceris moleſtia clientem ſuum abſolvat & juxta juris formam (quum omnia contra Deum & Verbum eius inchoata & facta ſint) in integrum reſtituat.* Alia prætereo. Cum his Litteris Scriptiſque Trajectum mittit Angelus Ioannem Laurentium, de quo ſæpe dixi; qui fide in reddendis, quæ Sonnij nomen præferebant, liberata, Epiſcopo in Brabantia abſente, Epiſtolam, quæ ipſi inſcripta erat, Sacrorum Miniſtro, quē Cappellanum appellat vulgus, credit, reverſo Præſuli reddendam. Quum & Decanus S. Mariæ Ordinum Eccleſiarūque Territorij Trajectenſis nomine ad Cæſarem eſſet miſſus, negocium in ſe ſuſcipit Gerardus Ratingius Iuriſconſultus non ſolum curandi, quæ ad eum dirigebātur, verum

etiam,

cIↃIↃ LIII.

etiam, ſi quid ab illo vel Epiſcopo reſponſi adveniret, quamprimum Hagam tranſmittendi. Sonnius, lectis Litteris, [a] reſcribit, *ſe intra dies adfuturum pauciſsimos, reverſo nimirum Decano: Cum quo, ſi Legationis iſtius neceſsitatem effugere potuiſſet, iam ante plures ſeptimanas adfuiſſet; iniectam negotio moram ſe ſemper averſatum fuiſſe; noviſſe illud in cuius conſpectu ſcriberet. Reliqua, quæ continebantur in ipſius ſcriptis, ſe non mirari, ſed dolere; quod ſciret talia multis Novitatum in Doctrina Fidei Amatoribus, ſuoque proprio iudicio nimium addictis eſſe communia: quo die reverſurus ſit Decanus, præſcire ſe non poſſe, niſi quod in dies exſpectaretur: Se interim ipſum ſuperis commendatum cupere, ſanæque & Catholicæ Meditationi.*

Reliquis abſentibus Sonnius Angelo reſcribit.
a *Sept.* XXVI.

Poſt paucos dies Angelus Ratingio ſcribens, [b] rogat; *ut, ſi quid audijſſet vel noviſſet Cauſſæ promovendæ, ſignificaret: dolere, quod nuperrime* XII *Articulos per Ioannem Laurentium ad ipſum non miſiſſet, ſi forte Præſul videre cuperet aut legere: conſtituiſſe quidem plura ſcribere; ſed an expediret, ſe ignorare; reſponſo habito, plenius id facturum.*

Angelus Ratingio I. C. ſcribit.
b *Octobris* V.

Quibus lectis Ratingius reſpondens, [c] *ſibi iamdudum animum,* ait, *fuiſſe reſcribendi, quemadmodum Ioanni Laurentio pollicitus fuerat, ſi quid habuiſſet Cauſſæ deſerviens: Nihil enim adhuc ſibi eſſe; cum quod Decanus nondum eſſet reverſus, tum quod litteras præcedente prius die Antiſtiti miſiſſet: ſe ſimulac eius ſententiam cognoviſſet, omnia per Nuncium aliquem (modo conducant) indicaturum. Quod ad alia (quorum meminerat) tranſmittenda; conſulere ſe, ne feſtinaret: Vbi Epiſcopus mentem ſuam explanarit, tum quod fuerit utile, facile pariturum; aut fortaſſe eum ipſum Præſulem mandaturum, quid faciendum.* Quum reverſus jam eſſet ex Cæſareæ Majeſtatis Palatio Hermannus B. Mariæ Trajectenſis Decanus: neque eo magis Sonnius ad expediundam cum eo cauſſam Captivi feſtinaret, commodum

Ratingius Angelo reſpondet.
c *Octob.* VIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↄ Iↄ LIII. accidit, ut Hagam veniret Suffraganeus Trajectenſis, Harlemenſem agens Paſtorem: quem quum audiviſſet Angelus Collegam etiam Sonnio in cœpta cauſſa adfuturum, prandenti apud Cornelium Suſium, Epiſtolio per Guilielmum Merulam miſſo, ſcribit, [a] *ſe intellexiſſe ipſum cum Decano D. Mariæ Sonnij conſtitutum ab Epiſcopo Collegam: Sonnium ſpem aliquoties iam, cum Verbis tum Litteris, dediſſe ſui Hagam adventus ad finiendam, quæ ante multos menſes inchoata, Cauſſam; ſed omnes pollicitationes hactenus fuiſſe fruſtra: rogare igitur, ne gravaretur indicare, quid tandem futurum, ſibique ſit exſpectandum: Tempus elabi; Hiemem inſtare, ſatis, ut timendum, horrendam; ſe varias ob cauſſas inſtitiſſe, ut Carceris incommoditate abſolutus commodius ad tempus habere poßit Hoſpitium, cautione præſtita, quemadmodum ante multos annos obtinuerat ab Academia Lovanienſi, quum pro conſervatione Iuriſdictionis Epiſcopi Traiectenſis eiuſque Archidiaconi Litem ibi haberet: ſe porro ſupplicare, ut in tota cauſſa fiat iuxta Auguſtini doctrinam: Nihil ſcilicet nocendi Cupiditate, ſed omnia conſulendi Caritate; nihil immaniter, nihil inhumaniter: nam etiam plectendo & ignoſcendo hoc ſolum bene agi, ut vita hominum corrigatur.* Quibus lectis Suffraganeus currum aſcendens Guilielmo Merulæ promittit, facturum ſe pro Patruo ipſius, & commoditatem ejus ſolicitaturum, quantum poſſet, juramento ſuo & honore ſalvo. Sic Trajectum eſt profectus ad celebrandam (uti ferebatur) Virginis cujuſdam Veſtalis initiationem. Ea facta, quum venturos confeſtim ſimul omnes ſperaret Angelus; nunciatur injunctum fuiſſe Decano, qui Bruxellis recens venerat, & Sonnio, ut prius quam Hagam irent, in Tranſ-Iſalanam & Friſiam iter ad expediunda quædam inſtituerent; quamvis Epiſcopus voluiſſet, ut Angelum prius abſolverent, ejuſque cauſſam finirent, quemadmodum

Angelus ſcribit ad Suffraganeũ Trajectenſem.

a Octob. XIV.

Suffraganei Reſponſum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIɔ Iɔ LIII.

dum Gerardus Ratingius Patri ſuo Iudoco, qui in Pago tunc erat Heenvlietenſi, ſuis Litteris ſignificarat. Additur, circiter tres Menſes in Friſia manſuros. Anxius igitur & hærens Angelus dubiuſque & conſilij inops, *Adÿſſe ſe* ſcribit *Dominum, qui & nobis eſt ab Deo Patre Cœleſti natus & datus Conſiliarius; & invocando Nomen eius, ab eodem Conſilium petÿſſe; Conſultum autem Dominum ſuum non deſeruiſſe ſupplicem, ſed per Spiritum ſuum ſuggeſſiſſe, ut, datis Litteris, apud Præſidem Curiæ Hollandiæ Gerardum Aſſendelfſium quiritaret, exhortando, conquirendo, ſupplicando, quo commiſeratione motus Dei ac Domini noſtri Ieſu Chriſti cauſſæ favere dignaretur, Conſilÿque nonnihil impartire.* Scribens [a] igitur, *Se ultra ſeptem ferme Menſes,* ait, *cum maximo ſuo incommodo gravique iniuria fuiſſe & in Arce Heenvlietenſi & Hagæ Captivum; Sonnium eiuſque Collegas pollicitos ſæpe Cauſſam ſe brevi terminaturos, iam vero moras, parato odioſas, nectere, non niſi deſpectu Ordinum Hollandiæ, qui non ſuſtinuerant Captivum ad importunam eorum libidinem Traiectum tranſportari. Verum quum omne Privilegium non in Subditorum aut utentium iniuriam, ſed potius iure communi & naturali in eorundem commodum & emolumentum eſſe debeat; merito non oportuiſſe vel Senatum, vel Ordines propter odium quorumdam admittere huiuſmodi Privilegia per Traiectenſes infringi, vel reſcindi in eorundem Subditorum damnum aut detrimentum.* Poſt hæc tacitæ occurrens objectioni, *poſſe Præſidem dicere, Cauſſam hanc ad ſe vel Senatum non pertinere, ideoque ſe vel ipſum nolle temeritate quadam in eius cognitionem Conſilia ſua vel Operam ingerere:* replicans, ait, *primo ab ipſo & Curiæ Provincialis Senatoribus, tanquam Adſeſſoribus quidquid ab Inquiſitoribus actum erit, aliquando comprobandum & confirmandum eſſe: Secundo ad ipſos pertinere, Cæſaris Ordinumque Imperialium Statuta tueri & conſervare,*

Angelus Conſilium petit ab Hollandiæ Præſide Aſſendelffio.

a *Novemb.* 1

 quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↄIↄ LIII. *quæ quidem, & quatenus ad hanc Provinciam pertinent: ſtatuiſſe autem eos, ne qua fieret ante Concilij Generalis Diffinitionem hinc inde Perſequutio, præter quam contra publicos Anabaptiſtas & Sacramentarios: Tertio Ius divinum, quod nullos non Status & Ordines comprehendit, facto exemploque in Cauſſa Hieremiæ comprobare, ad ipſos Cauſſam hanc ſpectare: Nam quum Sacerdotes Hieremiam tanquam Hæreticum, Schiſmaticum, quique Seditionem in Populo excitare inſimulabatur, in vincula conieciſſent, Iudæorum obſtitiſſe Senatum Politicum; Contraque Sacerdotum Sententiam judicaſſe Hieremiam morte indignum & ipſorum manibus ereptum abſolviſſe, incolumemque dimiſiſſe. De Paullo etiam ſimile Exemplum proponi in Actis Apoſtolicis: Senatui Provinciali non minorem eſſe auctoritatem: Se quidem illa non ſcribere, ut eadem in ſe fiant, manibuſque Inimicorum ereptus cauſſa abſolvatur; gaudere enim quod in vindicanda Nominis Dei vivi & Chriſti eius Invocatione ab Adverſarijs exerceatur, quum Homini vere Chriſtiano nihil debeat eſſe optabilius, quam pro Nomine Honoreque ſui Domini militare; obieciſſe ſe eis Verbum Domini, quod per ipſos vel etiam quoſcunque infringi non poteſt; idem feciſſe ſe de Solius Ieſu Chriſti Advocatione, Mediatione, & Interceſſione, atque etiam de Salutifera, quæ fit per Solam in Chriſtum Fidem ſine ullis prævijs bonis Operibus, Iuſtificatione, ita ut pro ijſdem mori ſit paratus; confidenter cum Propheta dicendo,* Verbum Domini in auxilium mihi; non timebo, quid mihi faciat Homo: *ſed hæc eam ob cauſſam ſcribere & petere, ut ab magnis carceris moleſtijs tantum liberetur, & in Hoſpitio quodam, cautione præſtita, inſtante Hieme, contineatur, ſui ipſius curam acturus (quemadmodum & Paullo ab Gentibus fuit permiſſum) donec Inquiſitores venerint, cauſſamque cœptam finierint, ſive in Vitam,*

ſive

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

ſive in Mortem: flagitare hoc Senium & continuas Dyſenteriarum multorumque Defectuum ægritudines; noviſſe Deum, quantopere in Carcere adfligatur; permanere ſe nihilominus non ſine ſpeciali Dei dono & gratia vivum, corde ſanum & incolumem, ſed corpore & membris impotentem multiſque modis debilem: Optaſſe id ab Sonnio eiuſque Collegis, ſed eos dedignatos fuiſſe reſpondere, vel verbum reſcribere: Poſtulaſſe etiam ſe idem ab Advocato Hollandiæ Provinciali, ut Ordines huius rei admoneret, ſed hos noluiſſe ſe negocijs iſtis immiſcere: Hoc idem jam-nunc ab ipſo & Senatu Cæſareæ Maieſtatis petere; Si adnuerint, rem ab Deo commendatam facturos; Deum præcipere, ut eruamus eos, qui trahuntur ad Mortem, & qui ducuntur ad interitum liberare ne ceſſemus; ſin abnuerint, ipſum tamen ſi non facto vel verbis, ſaltem conſilio juvare poſſe. Rem carere periculo; Hæc inter ſe ipſumque agi, Deo tantum teſte. Si Libellum ſupplicem vel Senatui vel Ordinibus cenſeat offerendum; ſe, ut fiat, curaturum; omnia ſe tentaſſe apud Epiſcopum Traiectenſem, Suffraganeum, ipſoſque Inquiſitores: Si quid ulterius ſibi faciendum exiſtimet operæ-pretium, aut etiam neceſſarium (ne in propria cauſſa deſidiæ aut ſegnitiei culpetur) facturum & tentaturum: Hoc ſolum ſe ex animo deſiderare, ut fiat quod fieri Deus decreverit; ipſum enim potentem eſſe ſuos liberare ex manibus omnium inimicorum, pioſque licet preſſos ſalvare ſervareque in Regnum ſuum Cæleſte: Sed ne cui videretur nihil agendo tentare Dominum, feciſſe & ſcripſiſſe ſe ad quos fuit neceſſe: Nam ubi Humanum præſidium in foribus eſt, non debere Homines Solius Dei præſidio uti velle, contemto Humano; ubi vero Humanum præſidium defuerit, ſemper Divinum imploratum ſeſe præſens offerre tempore & loco; ideoque, ſi nullius Humani præſidij ſive auxilij Ope adiuvatur, ſe totum Chriſto Ieſu & eius promiſſioni cIↄ Iↄ LIII

CIↃ IↃLIII. *committere ; eum enim addixiſſe nobis adfuturum ſe omnibus diebus ad conſummationem uſque ſeculi : Hic ſe conquieſcere, ſive in Mortem, ſive in Vitam Cauſſa cœpta, quæ ipſius eſt Chriſti, ſit adductura. Precibus denique obteſtatus Præſidem, Conſeniorem in Domino, ut ſcribendi audaciam æqui bonique conſulat ; monet, ſe propria manu, quæ per amicum communem Sebaſtianum, abſente Merula Nepote, mittit, exaraſſe, & cõtra Captivorum morem clauſiſſe; nequis, ſi forte celanda, reſciſcat vel referat.* His lectis Præſes conſternatus, & Miſericordia erga Virum Senem, multiſque morbis & calamitatibus preſſum commotus, perbenigne reſpondens, pollicituſque ſe in iſtac Cauſſa quidquid poſſet, libenter præſtiturum, cum primis ſuadet *Libellum ſupplicem* (quod ipſe Captivus ſuggeſſerat) *ad Senatum Provincialem conficiundum, remque, cuius in Litteris mentio fiebat, inſtanter eſſe petendam ; ſe curaturum inde, ut Libellus, ſervato ordine, ad Epiſcopum Traiectenſem, quum Eccleſiaſticum ſit negocium, mittatur ; & ab eo quoque idem requiratur, quo eius etiam auctoritate & conſenſu petitio magis magiſque confirmetur & ſtabiliatur.* Conſilium hoc ſequutus Angelus, Libellum, quo Tragœdiæ ſeries ad illum uſque diem commemorabat, Senatui obferens, petit, [a] *ut vinculis liberato Haga ſub idonea Cautione Carcer adſignaretur.* Senatus, viſo Libello, Præſidis induſtria eo non difficulter adducitur, ut negocium non averſatus eum cenſeret ad Sonnium, qui nondum in Friſiam erat profectus, per juratum Nuncium primo quoque tempore mittendum : quod factum ſcriptis [b] Litteris partim ab Senatu ad Sonnium, partim ab Angelo ad eundem, nec non ad Epiſcopum Trajectenſem & Decanum B. Mariæ. Sonnio quidem ab Senatu mandatur, *Vt ob cauſſas in Libello, qui ſimul mittebatur, commemoratas vel Captivi adſentiret petitioni, vel quamprimum*

Conſilium ſuggerit Angelo Præſes.

Libellum ab Angelo oblatum

a *Novem.* III.

mittit Senatus cum Litteris ad Sonnium.

b *Novem.* IV.

Hagam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Hagam cum Collegis properaret; Accuſationem adverſus eum inſtituturus; remque, ut deceret, promoturus: ſe alioquin, ſi iterum Captivus opem imploraret, facturum quod æquitas hac in re præſcriptura. Epiſcopo eadem fere, quæ ſuperioribus diebus, ſcribit [a] Angelus; *Se adhuc in artiſſimo Carcere detineri; Sonnium vero eiuſque Collegas nihil interim agere, nullamque Seniȷ, Morborum, Frigoris, aliarumque moleſtiarum, quibus vexatur, habere rationem; petiȷſſe ſe, & etiamnum petere, ut Cuſtodia moleſtiore ereptus Carcere frui poſſet tota Haga, Cautione, ſi opus eſt, præſtita: idem ſe ab Senatu Provinciali oblato Libello petiȷſſe: Sperare ſe variorum interceſſione rem tandem ad exitum, quem tot incommoda ſuadebant, perductum iri: Se nihilominus non defugere onus reſpondendi ad omnia, quæ vel obiecta vel deinceps obiȷciunda: Gaudere ſe, quod Gloriæ Domini Redemtoriſque ſui vindicandæ liceat militare, & in Spiritu Dei ſui per Scripturas exerceri: Non eum eſſe ſe, qui Scriptis deterretur; quamvis Sonnius & aliȷ initio diſſuaſerint, ne omnino Scriptis ageretur, aut plura ultro citroque ſcriberentur: Non ſuo ſe, ſed divinæ Maieſtatis honori ſtudere; compertum habere ſe, quod ab ipſo ſit miſſus, quod item non ex ſe, ſed ipſius beneficio ſit, quod eſt, habeatque quod habet, ſi tamẽ quid haberet: Dei ſe cauſſam proſequi in eius Solius Invocatione, Chriſtique eius Advocatione, Mediatione, Interceſſioneque tuenda; Docere ſe Sola Fide in Chriſtum Ieſum ſine ullis præviȷs Bonis Operibus Iuſtificari: hæc & alia ſe Sacra Scriptura, id eſt Verbo Dei, defendere; hæc Sacris Eccleſiæ Catholicæ ſe probare Doctoribus; hæc denique paratum eſſe ſe docere in Ignem uſque, contra quoſcunque: Optare ergo & obſecrare, ne per Invalitudinem & Carceris tædia ſuccumbere ex Adverſariorum votis optatiſque cogatur, ut Haga ſibi ad tempus pro Carcere deſignetur, dum Delegati cauſſam vel finiant, uti decet; vel cedentes adnotatam plane deſerant, quemad-*

modum

cIↄ Iↄ LIX.

Angelus iterum ſcribit Epiſcopo:

[a] *Eodem die.*

ↀ Iↄ LIII. *modum jam circiter ſex menſes reipſa deſerere cœperant. Novum nemini poſtulatum hoc videri debere: ſibi namque ante annos plurimos, quum pro tuenda Iuriſdictione Philippi Burgundi & Henrici Bavari, Epiſcoporum Traiectenſium, Litem haberet Lovanij, M. Nicolao Coppino Montano Cancellarium; Privilegiorum autem Academiæ Conſervatorem agente M. Ioanne Welmendingo, Decano Bruxellenſi, totum Oppidum Lovanienſe pro Carcere datum fuiſſe; ea Lege, ut non egrederetur, aliove ſe transferret, niſi eorundem conſenſu, vel cauſſa finita: Se autem hoc feciſſe, & aliquot ſeptimanas Lovanij manſiſſe; tandem eorundem adſenſu Traiectum rediiſſe, ibique adpellaſſe ad Sedem Apoſtolicam, eo anno, quo Roma fuit ab Germanis, Duce Borbonio, capta, Pontifexque in Cuſtodiam ductus: cauſſam tandem terminatam fuiſſe per Præſidem Curiæ Hollandiæ Nicolaum Everardi Middelburgenſem, & Arnoldum Sandelinum Secretarium: Eas ob res precari ſe, ut quod ſupplex rogat (idem hoc etiam Concilio Hollandiæ & Zelandiæ ab ipſo, tanquam ordinaria poteſtate, expetente & poſtulante) auctoritate ſua faciat: & ſortem Captivi canoſque & varios Morbos miſerans, ipſum reſtituat, Hagamque pro carcere totam concedat: Si liber eſſet viribuſque integer, ut aliquando fuit, ſe quam lubentiſſime Traiecti coram ipſo ſe velle ſiſtere; ſed in præſentia fieri hoc non poſſe, ſuas teſtari miſerias.* Litteris [a] ad Sonnium & Decanum id potiſſimum poſtulabat; *Vel ut ſibi de Erroribus ipſorum opinione gravioribus & potioribus reſpondeant, ſcribant, & certiorem ipſum reddant; quo ſibi ſit ſuper iis præmeditandi Ocium & Licentia: vel, ſi nihil habeant, quo contrarium per Sacram Scripturam doceant probentve, indemnem dimittant; aut ſaltem Hagam totam pro carcere concedant; quemadmodum etiam Senatus, ſuarum calamitatum miſertus, inſtat poſtulatque: Si convinci poſſit errorum, non eum fuiſſe, non eſſe, nec futurum,*

ut item ad Sonnium & Decanum.

a *Novem.* v.

rum,

rum, ut contra manifeſtam niti velit Veritatem. Comitabatur Litteras, quas dixi, quoddam Obnunciationis (quam *Proteſtationem* vulgo vocant) Inſtrumentum; cujus talis fere erat continentia: *Quum Inquiſitor, eiuſque Collegæ magnam videantur facere difficultatem, graviterque ferentes conquerantur, Angelum Captivum Abuſus quoſdam ad variorum Auctorum Scripta non ſolum adnotaſſe, verum etiam per Verbum Dei Sacrorumque Doctorum Sententias probare voluiſſe, eoſdem Abuſus non eſſe tolerandos, ſed tollendos: Angelum per præſentes iniuſtis ipſius Inquiſitoris eiuſque Collegarum & quorumcunque contradicentium querelis & accuſationibus obijcere, Primo loco Libellum Reformationis Cæſareæ Maieſtatis, Paſtoribus omnibus per Diœceſanum miſſum, & a Provinciali Archiepiſcopo Colonienſi, per ſuos Coepiſcopos & Suffraganeos obſervari publicarique iuſſum; quo Cæſar diſerte mandat, petit, exhortatur, & præcipit; ut, quum multi ſint in Eccleſia, Errores, propter quos ipſe fatetur Deum nobis iraſci, & ſuam Eccleſiam caſtigare, eiuſdem ſecundum Sacræ Scripturæ normam Reformatio inſtituatur, iam vero maiorem Abuſum, maiuſve Scandalum in Eccleſia Catholica eſſe non poſſe, quam Idololatriam; quæ cum alia molitur, tum Creatorem Creaturis æquat, hiſque adſcribit quæ illi ſolum convenientia, videlicet Adorationem, Invocationem, Immolationem & ſimilia: Secundo, opponere ſe expreſſam Archiepiſcopi Colonienſis ſuper hoc petitionem; qua non ſolum poteſtatem facit omnibus Eccleſiaſticis, ſive ſcriptis ſive verbis ſua proponendi; verum etiam orat, ut ſi quis in ipſo-met (idem etiam erga ſe-ipſum fieri poſtulante Suffraganeo eius, Ioanne Epiſcopo Cyrenenſi) vel eius Vicarijs quid emendatione dignum animadvertiſſet, hoc ipſum proponeret, vel admoneret; ſe quidquid tandem foret æquo animo auditurum & laturum, operamque daturum, ne quis merito de ſe conquereretur, nec paſſurum aliquid, quod in ſua quidem poteſtate*

Margin: cIↄIↄIIII. — Angeli Proteſtatio.

cIↃIↃ LIII. teſtate eſſet, a quoquam merito deſiderari; neque etiam rem ſibi gratam facturum, ſi quis pernicioſam Officialium ſuorum negligentiam aut vitia morboſque diſsimularit: Tertio addere, hæc & ſimilia Paſtoribus etiam ab Epiſcopo Traiectenſi auctoritate Cæſareæ Maieſtatis fuiſſe ſignificata, Reformationiſque Libello cum ad ſe, tum ad alios in agro Vornenſi Paſtores tranſmiſſo, ab Cenſore Eccleſiaſtico Decanoque Iuriſdictionis Vornēſis fuiſſe mandatum, ut ſecundum eiuſdem præcepta ſe ſuaque inſtituerent, Scriptura Sacra interveniente & docente: Quarto quum Liberum & omnibus patens indictum eſſet & inchoatum Concilium Tridenti, eius rationem, præter nominatas jam exhortationes, mandata & provocationes, magnam ſibi obtuliſſe dediſſeque occaſionem, talia in variorum Libris adnotandi, ſcribendi, & corrigendi: Poſtremo vires etiam ſibi addidiſſe Scripta Eccij contra Bucerum, publice notantis, Morbos Eccleſiæ graves eſſe in Miſsis, Cultuque & Invocatione Sanctorum; quodque Populus non ſane de Pœnitentia, Fide, Fiduciaque in Chriſtū doceatur, palā confitentis. Se igitur, quod tam multis inductus & incitatus contra Errores Sacram Scripturam oppoſuerit, expunctis in Reformationis Libello, Canarienſi Epiſcopo, alijſve aliorū Auctorum Libris, quæ contra eandem fuiſſe poſita cenſebat, nihil peccaſſe, nihil mali feciſſe, nihil contra boni & honeſti Viri Officium patraſſe; nihil etiam commeruiſſe, ut iam veluti Hæreticus quidam in carcere detineatur, quum tamē nullum adhuc Articulum ſex ſeptemve menſium ſpatio ex centum quinquaginta, & pluribus, adduxerit Inquiſitor, quem ſuis Argumētis ſcriptiſque hæreticum vel erroneum per Sacram Scripturam oſtendere potuerit, neque poterit umquam, niſi quod erroribus ſuis omnibus ſimul ſemelque velandis in medium protrudat longam Conſuetudinem, qua vane temerarieque ſeſe gloriantur Pontificij repræſentare Eccleſiam; quæ ſi bene matureque fuiſſent, ut debebant, perpenſa, Inquiſitorem habere non potuiſſe cauſſam ullam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

lam faciendi in Captivum, quæ fecit. Nam quæcunque prædicarit, ipſum per Verbum Dei perque Sacrorũ Doctorum auctoritates comprobaturum, & quæ adnotarit, quemadmodum in Scholis fieri ſolitum, defenſurum contra omnes & quoſcunque; modo paßim abſit violentia, doluſque malus amoveatur; paratumque ſemper eſſe, ſubijcere ſe ſecundum Scripturam Sacram ſentientibus & docentibus meliora. Quæ quum ita ſe habeant, & ea-propter in nullo Captivus aut Erroris aut Hæreſeos accuſari ab aliquo juſte poßit, ſed potius ob adnotatos Morbos, Defectus & Abuſus, ut juxta Cæſaris petitionem, Archiepiſcopi Colonienſis Obteſtationem, Epiſcopi Traiectenſis Iuſſum reformarentur, laudari debeat; immerito ipſum ab Inquiſitore alijſque adfligi: petere contra & exigere, iuſtum quoque & rationi conſentaneum eſſe, ut indemnis dimittatur, omneſque expenſæ, quocunque modo factæ, reſtituantur: Iuris enim Iudicijque iuſti rationem hoc flagitare. Cum hiſce tam Curiæ Provincialis ad Sonnium, quam Angeli ad eundem, ſimulque ad Epiſcopum Trajectenſem, & Decanum D. Mariæ Litteris, nec non Proteſtatione, cujus memini, duobuſque de Advocatione Chriſti & Iuſtificatione per Solam Fidem ſcriptis proficiſcitur [a] Trajectum, comitatus Iurato, quem Senatus addebat, Nuncio, Guilielmus Merula; qui Vrbem ingreſſus, Batavodurum, quo profectus erat Epiſcopus, pergit; ibique Præſuli præter Litteras Patrui duo tradit Scripta, quæ commemoravi, ſimulque Proteſtationem & Exſcriptum Litterarum Senatus Hollandiæ ad Sonnium. Epiſcopus obiter perluſtrata & per Secretarium notata mittit per eumdem Merulam omnia ad ſuum Suffraganeum; qui, ſcripta ſibi cum Proteſtatione retinens, Exſcriptum (quod dixi) Litterarum Senatus ad Sonnium mittit. Sonnius ejuſque Collega, Litteris acceptis, quæ flagitabat Angelus, dedignati, nihil

cIↄ Iↄ LIII.

[a] *Novem.* VI.

Gulielmus Merula Patrui nomine proficiſcitur ad Epiſcopũ Trajectenſem, Sonniũ, & alios.

Reſpõſum ab Epiſcopo,

ab Sonnio,

cIↄ Iↄ LIII. nihil omnino reſpondent. Ille namque perſiſtens in ſua opinione, dicebat Angelum vehementer errare; rogabatque, ut reſipiſceret, & meliora meditaretur. Suffraganeus quoque voluit, monuitque, ne cuiquam illa de Iuſtificatione, alijſque vel Angelus, vel Guilielmus communicaret. Quum item Guilielmus, anteaquam Batavodurum tenderet, Sonnium rogaſſet, ut quos opinabatur graviſſimos Patrui Errores vel Verbis ſibi, vel ſcriptis ad ipſum Litteris, indicaret, reſponderat, *Etiamſi alij non eſſent præter iſtos de Iuſtificatione, Invocatione, Cultu Sanctorum & Mediatione, ſufficere, ex quibus Hæreticus dici poſſit: Bonus ille,* inquit, *Vir & ſanctus Nazianzenus invocat Baſilium, ut intercedere dignetur pro ſe apud Patrem Cœleſtem, & vixit ante mille annos; Eccleſiaque tota non ſervat aliud, neque unquam ſervavit: de Precatione pro Mortuis non adeo multa ſit in Scripturis mentio, & ea ſe moleſtat Angelus, tuus Patruus, valde.* His dictis prælegit Guilielmo Merulæ Litteras, quibus ipſe Senatui Hollandiæ reſpondens, ſcripturum ſe ajebat ad Viglium Zuichemum Cæſarei Concilij Præſidem; ut, poſthabita vel intermiſſa in Friſiam profectione, liceret Angeli Negocium & Cauſſam potiſſimum promovere aut finire; vel, ſi id commode præteriri non poſſet, ſed omnino Friſiam adire cogerentur, alij ad Cauſſam decidendam conſtituerentur. Cogendi certe aliquo modo videbantur. Nam quum ſuperiore menſe Decanus S. Mariæ, Provincia illa Bruxellis onerandus, Viglio diceret, *Non decere virum, tam provectæ ætatis, totam illic Hiemem deſidere, langueſcere, & perire; Cauſſamque eius non decidi;* Subjecerat Præſes, *Pluris eſſe ſalutem Civitatis & Regionis integræ, quam unius Perſonæ.* Neque hic ſilentio prætereundum, ſcripſiſſe etiam Angelum ad Dynaſtam Cruningium, cum de alijs, tum ut Haga tota pro Carcere tribueretur: ſed parum & hic ac-

[Margin: ☛ Suffraganeo, | ab Viglio Zuichemo, | ab Cruningio.]

ceptum

cIↃ IↃ LIII.

ceptum ſolatij. Quum Franciſcus Sonnius Trajecto ad Viglium, Concilij Secretioris Præſidem (uti Guilielmo Merulæ promiſerat) ſcripſiſſet, eique Litteras ad ſe Senatus Curiæ Hollandiæ, ſimulque ſupplicem Angeli Libellum tranſmiſiſſet: tandem initio [a] Decembris Diploma venit ab Regina, Provincijs Præfecta, ad Senatum Hollandiæ, quo jubebatur, ut Carcer captivo Seni mitigaretur, duobuſque adpoſitis cuſtodibus in loco ſecuro conſervaretur. Quibus lectis, Senatus noluit in ſe recipere ejus exſequutionem; quod non Principis, ſed Dynaſtæ Cruningij captivus eſſet. Mittit igitur Diploma, quod dixi, per Procuratorem Generalem ad Franconem Botium, Cruningij Advocatum. Conventum tandem, ut a Porta migraret in Monaſterium aliquod, data fide cuſtodiendus. Conſtituitur per Advocatum locus cuſtodiæ Conventus Præfecturæ (quam *Præpoſituram* hodie dicunt) Middelburgenſis in Occidentaliore Hagæ Comitum regione; ut ibi Captivus, una cum Guilielmo Merula Fratris Filio conviveret Præfecto Eccleſiaſtico; nullique ad eos ſine Præfecti conſenſu daretur acceſſus. Quæ quum Advocatus ſuis Litteris ſignificaſſet Cruningio, meliore Angeli ſorte non ſatis contentus, reſcripſit, centuplo ipſum graviore carcere, quam fuerat Porta Anterior, detinendum. Quibus ab Angelo tunc refutatis, Dynaſtaque placato, Advocatus acta quædam conficit cum duorum Bartholdi Ioannis F. Altenacenſis & Guilielmi Merulæ ſponſione: ſic tandem non ſine magna Commentarienſis (lucrum undique captantis) indignatione, pridie [b] Nativitatis Chriſti carcere egreſſus, in Præfecturam deducitur, hora ſub verſperam octava, comitatus cum Guilielmo Merula Nepote, tum Amicis alijs, inter quos erat & Nicolaus Beuckelaer Advocatus. Quum jam I V, fere menſem in Præfectura detineretur Angelus,

a. *Initio Decembris.*

Mariæ Reginæ Litteræ ad Senatū Hollandiæ pro Angelo Merula.

b *Dece. XXIV.*

Angelus in Præfecturā deducitur, mitiorem Carcerem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

CIↃ IↃ LIIII. commodius multo, quam in Porta Palatij Hagienſis: Sonnius, qui, ut honeſtius ſuæ procraſtinationi in cœpta cauſa velum obtenderet, totos VII menſes in Friſiam itabat, tandem ſub initium Aprilis proficiſcitur. Non ignorans Captivus quantum per Sonnij (qui hactenus quamvis præſens & ſæpiſſime interpellatus nihil egerat, & ne quidem agere tentarat) abſentiam morarum ſuis rebus injiceretur, conſulto Advocato ſuo Nicolao Boekelario, Libellum Senatui Provinciali ſupplex iterum offert; petens, ut artiore cuſtodia liberato Haga tota Carcer daretur, præſtita cautione; ſimulque Sonnius, ejuſque Collegæ cogerentur Iudices nominare, quibus coram inchoata Cauſa perduci poſſet vel ad Abſolutionem, vel Condemnationem, ne perpetuo Ergaſtulo Captivus adfligeretur. Libellum hunc Senatus cum ſuis Litteris mittit per Nuncium Cæſareæ Majeſtatis ad Hungariæ Reginam, quem quum quidam x jam Septimanam vel negligenter vel malivole penes ſe ſervarent, nihilque in Hollandiam reſponſi vel Curiæ vel Captivo adferretur; miſſus Bruxellas alius Senatus Provincialis Nuncius inquiſiturus, nihil invenire potuit, neque expiſcari de eo quid eſſet actum. Captivus tandem [a] ſecundo eundem offert Senatui Libellum, cum quadam appendicula ſeorſim ſcripta; quæ ab Senatu cum alijs ejuſdem ad Reginam Litteris recepta Angelus per juratum Tabellarium Bruxellas mittit. Sollicitant interea temporis Lovanienſes Doctores, ut ad ipſos Angelus traduceretur. Quum vero nihil ab Concilio obtinerent, tandem eo res deducitur, ut totum hoc Negocium Ruardo Tappero & quibuſdam alijs ab Regina fuerit commiſſum. Ruardo res erat Lovanij cum ſuis Collegis. Ipſe etenim in quibuſdam ſuis Prælectionibus & Dictatis plura diſputarat, conſenſerat, & confeſſus erat, quam Academia volebat. Hinc

Sonnius, poſt habito Angeli negocio, in Friſiam proficiſcitur.

Angelus, oblato Senatui Libello, Hagam totã petit pro Carcere.

Libellum Senatus mittit ad Reginam.

a *Iunij* XIIII.

Angelus Libellum dolo ſuppreſſum iterum obfert; eumque cũ Senatus Reſcripto & Litteris ad Reginã curat perferendũ.

Laborat Academia Lovaniẽſis, ut Lovaniũ tranſportaretur Angelus, fruſtra.

Ruardo Tappero Negocium Angeli committitur.

Hinc non parum illi adſperſum moleſtiarum, adeo etiam ut Cancellarium ſuum Profeſſores ad Palinodiam & quarundam Aſſertionum Revocationem compulerint: ſic factum, ut Angeli vincula fuerint protracta, cum ob iter Sonnij ejuſque Collegæ Decani in Friſiam, tum ob Schiſma Lovanienſium. Venit tandem Reginæ, Provincijs Præfectæ, juſſu mandatuque VII[a] Eidus Iulij Hagam Tapperus Enckhuſanus una cum Iodoco Raveſteinio Tiletano, Fiſcali item ſuo Ioanne Cloetingio, Notario Quintino Macquetio, & alijs: confeſtimque & eodem fere momento, ut quod ſuſceperat, injecto terrore auſpicaretur, demandat Angelum artiſſima ſepiri conſervarique Cuſtodia, vetans pro, quam præferebat, auctoritate, Ne cui ad Captivos vel Angelum vel Guilielmum Merulam, ipſius conſortem, daretur acceſſus, vel adloquendi facultas. Ad quod ſignificandum, adeunt illos poſtridie[b] circa veſperã Nobiliſſimus Vir, Gerardus Aſſendelffius, Senatus Hollandiæ Præſes, & Chriſtianus Weertius Cæſareæ Majeſtatis Procurator Generalis & Conſiliarius; præmonentes, Ruardum cum ſuis adeſſe, &, ne Senex ab re inopinata & parum, ut ipſi dicebant, decora turbaretur, duos Iuratos Nuncios Curiam Provincialem primo quoque tempore miſſuram ad agitandam cuſtodiam ab Inquiſitoribus & Provincijs Præfecta juſſos petitoſque, donec diſputationis cauſſa foret finita; quam intra quindecim dies vel circiter exiſtimabant terminandam: Ruardum quidem petijſſe, ut in priſtinum Carcerem reduceretur; ſed Senatum, petitioni ejus non adſentientem, voluiſſe, ut in Præfectura, honeſtiore loco, maneret: addunt, eundem Senatum ipſius Auditus gravitatis miſertum, duos ex ſuo Collegio, volente etiam id Præfecta, conſtituiſſe Cornelium Weldamium & Procuratorem Generalem, qui rebus gerendis contra

cIↄ Iↄ LIIII.

Ruardus cum ſuis venit Hagam.
a *Iulij* IX.

Angelum artiore ſepiri jubet cuſtodia.

Captivum adit Præſes Aſſendelfius.
b *Iulij* X.

cIↄ Iↄ LIIII.

a *Iulij* XI.

contra praviores Aſtus intereſſent, ipſiuſque quaſi Cauſam, juramento ſalvo, agerent. Sequenti [a] igitur die ſtatim a prandio accedunt duo Ianitores, Iurati Curiæ Hollandiæ Nuntij, qui omnes aditus præcluderent; &, ne quis ad Captivos penetraret, vel quid Litterarum Librorumve adferret, diligenter obſervarent.

Captivus Librorum Litterarumque Ope privatur.

Sic ante omnia Senex privatur omni, quæ per Litteras ab Amicis (præſertim clariſſimis Viris, Ioanne Sartorio, & Hermanno Verbi Dei apud Veſalienſes Miniſtro) ſubinde veniebat, conſolatione, omnique Librorum ad confirmandum memoriam, ſanioraque & meliora, ſi fortean erraret, diſcendum, ope: quum interim Inquiſitores univerſas fere Hagienſes, quas noverant, Bibliothecas, Palatinam cum primis, quam anno cIↄ Iↄ XXXI Cæſari legarat Ioannes Theodorici F. Harius; Cæſar autem Curiæ donarat, cum alijs, tum Theologorum omnium ſcriptis inſtructiſſimam, in ſuum uſum moverent & pervolitarent; quotidieque plures aliunde curarent Libros adduci.

Captivo liberior Aer & omnis proſpectus adimitur.

Iubebat & Fiſcalis Ruardi, Cloetingius, ut undiquaque feneſtras obſerari faceret Præfectus: quo, ne adflictum ſatis Senem magis adfligeret, ceſſante, humaniuſque agente, Angelus, juſſum edoctus, ipſe, ne Præfectum in ſiniſteriorem conjiceret ſuſpicionem, libens præſtat, & quidquid proſpectuum erat, probe occluſum ab illo tempore ſervavit.

Ruardus cum ſuis Captivum accedit,

Ingrediuntur mox Præfecturam eodem die tertia pomeridiana Ruardus & Tiletanus Inquiſitores, Weldamius & Weertius Curiæ Senatores, Cloetingius Fiſcalis, Macquetius denique Notarius Inquiſitorum; advocatumque, cum Fatris Filio Guilielmo Merula, comiter excipiunt. Ibi Ruardus, prolixa habita oratione, cujus pleraque ad pompam potius & oſtentationem, quam ad Inſtitutum ipſum faciebant,

Adventus Cauſſam exponit,

cujus juſſu auctoritateque, & ad quid, reliquis comitatus, venerat, ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

ponit; cauſſam etiam dilationis & moræ longioris, adlatis excuſationibus, nulla tamen motuum Lovanienſium facta mentione, aperiens. Quo facto Cloetingius Fiſcalis, ut ſuæ reliquorumque in toto hoc negocio auctoritatis ſtabiliret poteſtatem, bina profert Mandata Pontificia (*Papales* Vulgus vocat *Bullas*) quibus Ruardo, quamdiu viveret, Munus Inquiſitionis Hæreticæ pravitatis per totam Brabantiam, Flandriam, Hollandiam, Zelandiam, Friſiam, aliaſque Provincias, Ditioni Karoli V Imperatoris, Belgicæ Principis, ſubjectas, injungebatur. Promit inde ternas Litteras Mariæ Reginæ, quibus Ruardus Cauſſam Angeli terminare & ad finem perducere jubebatur. Producit mox Articulos, per Franciſcum Sonnium anno ſuperiore conſarcinatos, una cum Captivi ad ſingulos Reſponſionibus & Declarationibus. Interrogatus Angelus, *An quæ prolata, ut ſua, recognoſceret:* conſtanter & intrepide, *Recognoſcere Se*, reſpondit; addens, *jus ſe ſibi, quum nimium propulſus, & ad reſpondendum præcipitatus ab Sonnio fuiſſet, addendi, minuendi, mutandi, ſalvum fuiſſe ſtipulatum.* Verum, quum *longum & tædioſum fore* diceret, *omnes per Sonnium collectos olim* (erant autem, ut ex ſuperioribus paret, ultra CL) *Articulos examinare*; non ignorans, Captivum ad illos cum Sacræ Scripturæ, tum Patrum antiquorum auctoritatibus probandos ſatis jam inſtructum & paratum; rejecto etiam, qui præcedente anno placuerat, duodenario Articulorum numero; docens exemplo ſuo varium, inſtabile, & perverſum eſſe Cor hominis; nova quædam Doctrinæ capita decernit colligenda, quibus Reus reſponderet, quam poſſet fieri brevibus, ne inutiliter tempus tereretur: *Se enim reliquoſque & miſſos, & veniſſe*, inquiens, *ipſius expenſis; ideoque ſe malle quatuor dierum ſpatio Cauſſam terminari, quam in menſem protrahi:* quod & ipſum optare ſe

CIↃ IↃ LIIII. moram purgat,

mandatum aperit,

Ante-acta producit,

Agenda deinceps proponit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

CIↃ IↃ LIIII. reſpondit Angelus; *ſe enim iam ſatis diuque duras Carceris moleſtias, Sonnio litem deſerente, deque victoria iam diu deſperante, perpeſſum.* Sic propoſuerant homines; ſed Deus ſequius diſpoſuit: qui, ut ſua ipſius Cauſſa penitius & utrimque attentius diſcuteretur, inque ſui Gloriam procederet & finiretur, dies in ſeptimanas, has in menſes commutavit: Ideoque Fiſcalis terminum ad deliberandum, quos, quales, quo numero præſcribere Reo vellet, Articulos, quatuor nimirum aut quinque dies poſtulat. Sic aſcendere juſſis, confeſtim Inquiſitores quaſi quid obliti ſuperne accerſi mandant Gulielmum Merulam: quem quũ vidiſſent adſtantem Patruo Surdaſtro, quæ parum capiebat, ſuggerere, interrogant; velletne ſimul cum Patruo Captivus manere in Præfectura; an, eo deſerto, dimitti. Cui reſpondenti, ejus ſe eſſe ſemperque fuiſſe animi, ut vellet, quamdiu quidem per Iudices liceret, ſeni Patruo adeſſe, eodemque cum illo claudi carcere; *Bene quidẽ*, aiunt, *Non egredieris ergo; ſed eodem cubiculo clauſis portabitur cibus veſter, & quæ neceſſaria erunt; alioquin Communis Captivorum Porta vobis erit rurſus aſcendenda.* Merula conditionem priorem accipiente, nec egredi cupiente, regreſſo-

In Captivos ſaevit. que ad Patruum, edicit Ruardus, ne Præfectus ipſos accederet, neve ipſis inſerviret, vel ejus Famulus, vel quiſquam e Præfectura alius, ſed per adpoſitos Cuſtodes omnia, quibus in menſa opus erat, miniſtrarentur: inhibet item, ne quæ Veſtalium ipſorum lectos ſterneret, neve quis Librorum quid vel Litterarum importaret.

Præſidis Aſſendelfij humanitas. Præſes tamen Aſſendelfius quum hæc talia didiciſſet, non tam rigide cuncta per nuncios arceri vel obſervari præcepit: *connivendum*, dictitans *in tam neceſſarijs: Homines enim eſſe, taleſque, quibuſcum humaniter agendum: iniquum eſſe, miſerias & calamitates Captivorum augere; Carcereque ad pœnam, & crude-*

liora

liora morte ſupplicia abuti. Triduo [a] poſt redit ad Præfectu- cIↄ Iↄ LIIII.
ram Ruardus cum ſuis, comitatus etiam Nicolao Caſtrēſi, a *Iulij* XIV.
Theologiæ Licentiato, Eccleſiæ Beatæ Mariæ Canonico, Ruardi
cui cauſſam hanc delegarat pro ſuo jure, exque ſua parte E- Carcerem
piſcopus Trajectenſis. Mox præſtito utrimque Iuramento iterum in-
de Calumnia, Angelus prælectam, cujus ante memini, greſſi,
Proteſtationem tradit Ruardo: qui eam recipiens, *Iſta,* inquit, *Angele, poſtea poterunt tractari, facereque ad tui excuſationem: iam ad Articulos pergamus.* Sic Proteſtationem non rejecit quidem, ſed conſervavit deinceps; at vero dormientem quaſi & ſepultam, injuria facta irrogataque non ipſi ſolum Captivo, verum Cæſareæ Majeſtati, Ordinibus Imperialibus, Cardinali Contareno, Ioanni Eccio, alijſque Religionis Romanæ Propugnatoribus; conqueſtis jam ante multos annos in Eccleſia infinitos eſſe Errores & Morbos; quibus opus erat medicina. Sed Ruardus cæterique omnia hæc nihili facientes, nullumque Defectum, Nævum, vel Scandalum agnoſcentes, vel agnoſcere volentes, contra Angelum in arenam ſunt progreſſi. Statim enim Fiſcalis centum, & qui excurrebant, in ſcriptis proferens Articulos, poſtulat, inſtatque, ut Reus ad ſingulos reſponderet, per fallaces illas & doloſas Fori formulas, *Credit* vel *non credit*; illico, nullaque interpoſita mora, idque in re Divina & Theologica, quam conſulto, nec niſi cum metu, timore, ac reverentia tractandam præcipiunt Viri Sancti. Quæ cauſſa fuit, quod Angelus primo renueret; negocium hoc alium agendi modum poſtulare ſubjungens. Quum tamen inſtarent omnes, & putarent fieri ſic debere: tandem conſentit; proteſtatus ſe non velle per coactam hanc præcipitantiam ulla in re vel verbo reprehendi, vel inlaqueari; ſed Scriptis etiam ſe velle agere, non verbis tantum. Quod quum futurum addixiſſent, reſpon-

In Captivum injuria.

cIↃ IↃ LIII. Angelus ex tempore reſpondere nititur ad cVIII Articulos;

det Captivus eadem hora ad centum octo Articulos, nihil præmeditatus, litibus interim omnia clamoribuſque miſcente turbanteque non ſolum Fiſcali, ſed etiam Ruardo, quum non niſi invitum reſpondere animadverterent; monentibus etiam parum profici hoc modo Senatoribus, qui adſidebant: non parum & hinc indignatis, quod ſubvenientem in ſurditate Patruo Guilielmũ Merulam abire in cubiculum coegiſſent, ut ſcilicet tanto commodius ſurdaſtro, & non omnia bene intelligenti, multa perſuaderent. Accepto mox ab Fiſcali cum Articulis Libello, petit quatuor vel quinque dies ad reſpondendum ſingulis in ſcriptis; pollicitus ſexto die ſe paratum fore. Quo tempore

quibus mox etiam in ſcriptis reſpondet.

a *Iulij* XXI.

elapſo, ingreſſi [a] cum ſuis cæteriſque in Præfecturam Inquiſitores, eorum, quæ quondam abſtulerat, commodati ſpecie vel videndi cauſſa, Sonnius cum Paſtore Naeltvicenſi, quædam reddunt: oſtendentes ſimul Litteras, quas eidem & Epiſcopo Trajectenſi ſcripſerat, cum Tractatibus de Solius Dei & Chriſti ejus Invocatione, Sanctorumque Cultu abolendo, de Solius Chriſti Mediatione & Advocatione, de Iuſtificatione per Solam Fidem, & alijs: quæ omnia ſua eſſe & ab ſe ſcripta Captivus rogatus fatebatur.

An Lutherum ſequutus fuerit Angelus.

De Libris Lutheri etiam erat quæſtio; ſed re paucis expedita, non fuit umquam ulla eorum facta mentio. Noverant enim non tam Lutheri ipſum, quam Antiquorum cauſſam fovere. Sparſerant etiam Adverſarij Angelum ſua dogmata non ex Luthero ſumſiſſe, ſed aliunde nactum fuiſſe ex priorum Hæreticorum Libris, atque adeo proprio quodam veneno abundaſſe. Mox prælecta rurſum, de qua antea, Proteſtatione, Angelus Inquiſitoribus offert in ſcripto, præter Commentationes de Sacramentis, Sanctorumque Invocatione, ſuas ad Fiſcalis Articulos Reſponſiones & Probationes: quas quum alta voce vellet legere,

Inquiſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Inquiſitores noluerunt. Quorum iniquitatem non ferens Angelus, *Si penes vos*, inquit, *veſtroſque mea ſervaveritis; quomodo Senatores hi, qui Reginæ Curiæque Provincialis nomine adſunt, Negocium noſtrum, quidque de quibus Chriſtianæ Doctrinæ capitibus ſit inter nos Controverſiarum; qui denique iuſtam, qui iniuſtam foveant cauſſam, intelligent?* Reſpondentibus, *ſe omnium exſcripta Conſiliariјs exhibituros*, adquieſcere & parere fuit coactus. Nam quod polliciti fuerant, non feciſſe; res ipſa deinde docuit; quamvis & inde poſtea ſæpe conſtiterit, quod ægre plerumque ferrent, Conſiliarios Angeli aliquando ſuſcipere in ſuas manus ad legendum Annotationes & Declarationes, ipſo etiam adſidente. Præterea quum ipſe conquereretur propter brevitatem temporis, ſibi ad reſpondendum tam multis varijſque Capitibus adſignati, ſe præcipitari & ſuarum Adſertionum ſervare ſibi non potuiſſe exemplaria, quumque conſulendæ memoriæ ſubinde peteret legere vel prævidere, quæ ante-ſcripta ipſis tradiderat, inhumaniter recuſarunt; ne ſcilicet ſciret, quid reſpondiſſet, utque ſcrutarentur, num qua in re nutaret, ſuamve mutaret vellicando ſententiam. Quiritanti apud Conſiliarios vim ſibi & injuriam ab Inquiſitoribus fieri, reſpondent illi, ſe ab Regina tantum ad hoc delegatos & conſtitutos, ut teſtes eſſent agendorum & actorum, non Iudices. Petentibus Inquiſitoribus, ut ſe Concilio ſubjiceret, dixit omnem abeſſe ab ſuo Propoſito pertinaciam, ſeque ſubmittere omnibus & ſingulis per Sacram Scripturam melius ſentientibus, ſimulque Concilio, ſed legitimo, & per Spiritum Sanctum congregato ejuſque Deciſioni; quin & ſequuturum ſe judicium Paſtoris, ſi ſolidiora ex Sacris Litteris promeret. Conquerenti Articulos ab Fiſcali Cloetingio ablatos alios omnino eſſe ab ijs, quos auſpicijs Sonnij Fiſcalis Lupus

[Margin: cIↃ IↃ LIIII. Inquiſitorum iniquus agendi contra Angelum modus.]

[Margin: Cōſiliariorum puſillanimitas.]

[Margin: Angelus Concilio ſe meliuſque ſentientibus ſubjicere nō renuit.]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↄ Iↄ LIIII. confinxerat; ſibique tanta variatione geminari, nunc his nunc illis reſpondere coacto, moleſtias; ſubjecit Ruardus, *etiamſi centum illos & octo ſatis conſtaret noviter confictos, iiſque indies alij atque alij quantaquanta mole adfingerentur, cogi tamen Reum ſuam & conſcientiam & Fidem de iis aperire*. Sic igitur diſputavit invicta facundia menſem fere integrum contra Ruardum ejuſque Collegas Angelus, & ſtupenda animi conſtantia defendit Capita de Doctrina Fideque Chriſtiana, quæ maximi momenti primæque Claſſis; ſumma omnium admiratione in totius Hollandiæ Capitolio, præſentibus non ſemel Præfecto Provinciæ, Concilij Præſide, Senatoribus, alijſque magnis Viris. Faſſos quidem ſcribunt Adverſarios ipſos, numquam in ſimili negotio prælium ſe vidiſſe acerbius, numquam in Inquiſitoria Republica periculoſius trepidatum. Non videbatur enim ceſſurus umquam: ſic ſua contra Hoſtium inſultus ictuſque promta parataque habebat tela; Latine, Græce, Hebraiceque doctiſſimus, in Sacra Scriptura Antiquorumque Patrum Lectione verſatiſſimus; ſolituſque in rebus valde controverſis ad Textum provocare cum Hebraicum, tum Græcum: nam Latino (cujus tenaciſſimus erat Ruardus) non multum auctoritatis deferebat. Peracta diſputatione, proponit [a] Fiſcus, Notario comitatus, Angelo Articulos LXVII revocandos, ſcriptis e regione, quos cōtra confiteretur. Quibus lectis, confeſtimque ab Gulielmo Merula exſcriptis, rogatus Angelus, quid ipſi videretur, reſpondit, [b] *Non ita ex tempore poſſe aliquid ad eos dici*, temporis nonnihil, ut hoc commode fieret, flagitans. Subinferens Fiſcus, ſibi injunctum ab Inquiſitoribus, ut nulla interpoſita mora reſponſum ab Notario in Acta referendum exigeret, Doctoreſque nolle, ut quid amplius ſcriberetur, alioquin numquam finem futurum; tandem conce-

Ruardi inclementia.

Iudicia de Diſputationibus Angeli contra Ruardum.

a *Aug.* XVII. Articulos Fiſcus proponit Angelo revocandos.

b *Augu.* XIX.

concedit, ut pauca ſcriberet in eorum reditum. Ruardus enim Enchuſam, Tiletus Dordracum, Caſtrenſis Traje-ctum abierant. Fiſcus interim Heenvlietum proficiſcitur;[a] ut, adſumto Cenſore Eccleſiaſtico Brielenſi, Captivi Bona majore diligentia, quam Sonniani fecerant, adnotaret: ſed abſente Cruningio repulſus & ejectus ab Arnoldo Dor-pio, qui res Peregrinantis curabat, Roterodamum ſe re in-fecta confert. Hagam reverſus, Præfecturam ingreſſus, Reſponſum ad oblatos Articulos petit.[b] Dicente Angelo ſe penitiores Articulorum receſſus ſcrutatum deprehende-re Dolum & Laqueos; ideoque nolle ijs conſentire, ſed novam ſe conditurum Refutationem, iratus abit: prori-pienſque ſe ad Præſidem Aſſendelfium tertium extor-quet Ianitorem, qui prioribus mox[c] Cuſtos adpoſitus. Quintiduo[d] poſt Actor Inquiſitorius & Notarius Angelo nunciant, Ruardum & Caſtrenſem reverſos; ſe vero miſ-ſos, ut de ipſius inquirerent valitudine (nam graviter la-borabat) Doctoreſque excuſarent; quod lentius Cauſſa procederet, per ipſos non ſtare: abfuiſſe enim hactenus ob Iuſtititũ Auguſtale pleroſque Senatores. Monenti An-gelo reſponſum ad Articulos habere ſe paratum ferme; Actor, *Nos, Doctoreſque*, inquit, *de Reſponſionibus tuis non multum curamus: At ego valde curo; ſi nolint, reſpuant*, An-gelo referente; abierunt. Poſtridie[e] per quendam ex Iani-toribus ſcribit Captivus Ruardo, reliquiſque ejus Colle-gis: *ſe, ne ultra ipſis, quam velint, ſit moleſtus, quum Cauſſam cœptam non minus, quam ipſi, optet vel amice ſopitam, vel iu-dicio terminatam, ut paucis unicaque quaſi reſponſione ſatisfiat, ad omnia ſimul ſemelque dicere, Quæcunque Verbo Dei conve-nire, Sacriſque Auctoribus & Doctrinis Sanctæ Eccleſiæ Ca-tholicæ conſentanea eſſe comperirentur; ne ſoliciti eſſe, vel exiſtimare velint, ſe illa revocandi animum habere, aut publi-*

ce in

cIↄ Iↄ LIIII.

Fiſcus reliquis Angeli bonis inhiat,

a *Augu.* XXI.

b *Aug.* XXIV

Cuſtodiam gravat.

c *Augu.* XXV.

d *Aug.* XXX.

Reſponſum ad Articulos revocandos Angeli rejicitur.

e *Aug.* XXXI.

Angelus ſcribit ad Ruardum, ſuamque in Doctrina Catholica mentem ſimul ſemelque indicat.

cIↄIↄ LIIII. ce in Veritatis confuſionem poſſe, aut velle negare, aut ab illis recedere; ſed certo ſtatuiſſe, ijſdem firmiſſime ſtare nec umquam in hanc vel illam partem declinaturum ſe profiteri: Si vel Eccleſiam vel communem Vſum, Longive Vſus Conſuetudinem allegare voluerint; Se brevibus ad ea dicere, Eccleſias, ut Hilarius notat, intra quas Verbum Dei non vigilat, naufragas eſſe; ideoque, ſi ſecundum Verbum Dei ordinatio & Eccleſiaſticus modus in Eccleſia non obſervetur, non velle ſe illi modo vel ordinationi ullo pacto adſtrictum; ſed cum Cyrillo, ad Reginas ſcribente, pronunciare ſe, neceſſarium eſſe nobis ſequi Divinas Litteras, & in nullo ab earum præſcripto diſcedere: Didiciſſe ſe cum Auguſtino, Scripturarum Libris tantum, qui Canonici appellantur, hunc deferre honorem reverentiamque, ut nullum earum Auctorem aliquid erraſſe, certiſſime credat: ſi quis dicat, quod Eccleſia præcipit, credendum eſſe; ſe dicere non eſſe Eccleſiam, quæ ſine Verbi Doctrina & S. Scripturæ auctoritate quid docet, vel præcipit: Chryſoſtomum bene inculcare, cognoſci non poſſe, quæ ſit vera Eccleſia Chriſti niſi per Scripturas: ex ipſis veris Eccleſijs frequenter exire Seductores, ideoque nec ipſis omnino credendum eſſe; niſi ea dicant vel faciant, quæ Scripturis conveniunt: Auguſtinum item monere, Quæ contraria ſunt Doctrinæ Chriſti, contraria eſſe Verbo Dei: ſuggerere Ambroſium, Ratione vel auctoritate Hominis moveri, eſſe Cananæum, id eſt, mobile & perfidia fluctuans; quidquid item in Sacris Litteris non eſt traditum, ſceleribus plenum eſſe: Ex his igitur ſequi, Solo Verbo & Doctrina Euangelica debere uti Eccleſiam Catholicam, & ſine ijs Eccleſiam non eſſe Chriſti, non eſſe Catholicam; talemque, cui ſe numquam commiſſurus, quippe naufragæ & vita privatæ. Si quis opponat Longum Vſum & Conſuetudinem multorum annorum; Longam autem Conſuetudinem ex præſcripto Legum obſervandam eſſe; ideo Eccleſiæ etiam Conſuetudini ſtandum eſſe, & obediendum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

dum: Reſpondere ſe, Conſuetudinem quidem habere locum, & vim Legis, dummodo ratione non careat, & Communitatis pacem promoveat, Caritatemque inducat, nam ſi contra Dei Verbum ſit vel Sacram Scripturam, non Conſuetudinis, ſed Erroris appellationem mereri: apud Hebræos Vſum ſeptingentorum vel octingentorum annorum non obtinuiſſe, quin Ezechias Serpentem æneum contereret, & deſtrueret, ab Moſæi tamen temporibus ab Iudæis cultum; ſic debere etiam omnem Inſtitutionem, omne Præceptum, omnem Vſum, qui contra Dei verbum eſt, aboleri, penituſque exſtirpari; Errorem, cui non reſiſtitur, adprobari: ſi Solus Chriſtus audiendus eſt, non debere nos attendere, quid aliquis ante nos faciundum putarit, ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit, neque enim hominis Conſuetudinem ſequi nos oportere, ſed Dei Veritatem: ſine cauſſa colere Deum eos, qui Mandata docent & Doctrinas Hominum; quamlibet Conſuetudinem, quantumvis vetuſtam & vulgatam, eſſe Veritati omnino poſtponendam; & Vſum, qui Veritati contrarius eſt, abolendum eſſe: Auguſtini illud verum eſſe, Eum, qui, contemta Veritate, præſumit Conſuetudinem ſequi, aut circa Fratres eſſe invidum & malignum, quibus Veritas revelatur; aut ingratum circa Deum, cuius inſpiratione Eccleſia eius inſtituitur: beneque Cypriani hoc notandum, Conſuetudinem, quæ apud quoſdam obrepſit, impedire non debere, quo minus Veritas prævaleat, & vincat; Conſuetudinem enim ſine Veritate vetuſtatem eſſe Erroris: Relicto igitur Errore, ſequendam eſſe Veritatem; id eſt dicis gratia, relictis Cultibus & Invocationibus Demortuorum, Imaginum, Sculptilium; ſequendam eſſe Chriſti Doctrinam & Verbum; quod fideliter monet, Soli Deo ſerviendum, Deum Solum invocandum in die Tribulationis. Nam quum dicat Tertullianus, quodcunque adverſus Veritatem ſapit, Hæreſin eſſe, etiam Veterem Conſuetudinem; quumque ſcribat Hieronymus, Nec Parentum

cIↄ Iↄ LIIII.

 nec

ↀↃ Ↄ LIIII. nec Maiorum Errorem eſſe ſequendum, ſed auctoritatem Scripturarum, Deique docentis Imperium: non eſſe, ut Conſuetudinem opponamus Veritati; pendere enim nos debere non ab Vſu, ſed ab Dei Verbo, & unde ſortiti ſumus Nomen, Chriſto Ieſu & Spiritu Sancto, qui Veritas eſt Solus. Quinimo rogare ſe Doctores, ut exemplo Superiorum Patrum ſtilum moveant, ſibique occaſionem dent reſpondendi: decorum eſſe & utile, Ingenia exercere in Vinea Domini; inque his, de quibus mota iam controverſia, & unde periculum in Fide imminet Populo Chriſtiano ac ipſius Saluti: Dei Verbum exercitio continuo Veritatis indagandæ ſtudio colendum eſſe, humanaque Commenta diſcutienda, quando ex Solo Verbo Vita; humanis vero omnibus nihil præter Interitum hauriatur. His accuratius perpenſis, non eſſe tantopere in ſe ſæviendum, quemadmodum per Sonnium contra omnem æquitatem (quum iam etiam ſedecim menſes ſederit Captivus, longa febri variiſque Morbis gravatus) & Euangelicam Veritatem Fraternamque & Chriſtianam Caritatem inchoatum eſt: maxime quum Theologos Apoſtolicam deceat vitam ducere, neque contra Proximum Euangelicam poſtpoſuiſſe Admonitionis Chriſti doctrinam; ſed tempora temporibus adæquare nos oportere, multaque cum patientia Veritatem docere volentes ferre: Si durius quid a ſe quam oporteat, nimioque Zelo ſcriptum dictumve ſit: noſſe Doctores totum illud originem ab Cæſareæ Maieſtatis Præcepto, Archiepiſcopi Colonienſis Epiſcopique Traiectenſis Mandatu, Concilii denique proclamati Libertate duxiſſe, & proveniſſe. Neminem enim non, qui Eccleſiæ tolli ſcandala, remediumque Morbis adhiberi deſiderat, tot, talibus, tantiſque tantorum Principum ſtimulis atque adhortationibus provocatum adplicare debuiſſe & Mentem, & omnia ſua, ut Eccleſia purgetur, divinus cultus augeatur, & tandem Ille, cui Soli ſerviendum eſt & ſacrificandum, Solus ab omnibus colatur, adoretur, invocetur, &

ſancti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

ſanctificetur. Enimvero ſi & Contarenus Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, & Eckius non ita pridem faſſi fuerint libere, multos in Miſſis eſſe Abuſus; Deum Opt. Max. non recte coli; neque, ut Scriptura docet, invocari Solum: alienum ab Iustitia dubio-procul eſſe & contra æquitatem, his optantem Morbis adhiberi Remedium (eos attingendo ſolum) indignationem incurrere, aut temeritatis condemnari: quum ijdem etiam adſerant, non recte de Pœnitentia, deque Fide ac Fiducia in Deum erudiri ac inſtrui Populum; eſſe tamen hæc Salutis noſtræ totiuſque Veritatis Euangelicæ principia; quibus fœdatis, intricatis, diſtractis denique, &, quod dolendum, ſublatis, nullam Populo reſtare Salutem, certum eſſe; quum ſine Fide fieri non poſſet, ut quis placeat Deo; ipſaque non minus ambiguitas Fideique timiditas ab Deo condemnetur, quam Infidelitas: Timidis enim & incredulis partem, ut docet Ioannes Euangeliſta, in Stagno futuram in ardenti Igne: Plura quidem viſum fuiſſe addere; ſed ea qualiacunque Inquiſitorum Iudicumque ſe committere Cenſuræ; quum & ipſos ſperet non minus, quam ſe, Populi ſibi concrediti invigilare & incumbere Saluti: Illius Romani vere Epiſcopi, Felicis I, cordibus imprimendam eſſe Doctrinam, qua dicit, Væ futurum Paſtoribus cum, qui huius Miniſterij (Verbi Dei prædicandi & Fidei Catholicæ propagandæ) onus ſuſceptum habent, ſi Veritatem Salvatoris Ieſu Chriſti, quam Apoſtoli prædicaverunt, prædicare neglexerint; tum qui ſilentio Veritatem oppreſſerint, quam erogare jubentur Nummularijs. Se igitur obſecrare, ut Timor Domini cum ipſo ſit, eiuſque Collegis; & cum diligentia Caritateque Chriſtiana (quæ quod ſibi vult fieri, hoc & alteri ſolet facere) cuncta agant in Dei Gloriam & Proximorum Aedificationem; Cauſſamque cœptam decidant, atque bona conſcientia terminent; &, quemadmodum coram Dei Iudicio reſpondere in eadem Cauſſa audebunt, cum omni benivolentia de ſe ſtatuant & ioudi-

cIↃ IↃ LIIII. *iudicent*. Hoc ſcripto Ruardus perlecto, *ſi Angelus*, inquit, *habet adhuc aliquid Scriptorum vel Reſponſionum, det nobis, quo citius, quo ſatius, paratis & volentibus accipere: ſi Fiſcus aliter dixerit* (dixerat autem, ut ante monui, nec ſe nec Doctores multum curare Reſponſiones Angeli ad Articulos, qui revocandi erant propoſiti) *mentitus eſt, & fecit præter conſenſum & mandatum: dabitur etiam ei poteſtas, quem velit, eligendi Advocatum*. Angelus quum didiciſſet ſcripta ab Ruardo non fuiſſe rejecta, de Advocato parum fuit ſolicitus: Deoque & ſe & omnia ſua commendans, & Sententiam vel Exſilij, vel Carceris, vel Mortis etiam exſpectans: *ſit*, inquit, *Deus ille magnus in omnibus mecum, Non timebo, quid faciat, quid ſtruat, quid in me machinetur homo*.

Ruardus Fiſcalis ſui factum in Angelum improbat.

a Septembr. I. Angelum magni Viri ſolicitant ad Palinodiam; fruſtra.

Sequenti [a] die, matutino tempore, venerunt in Præfecturam Præſes Aſſendelfius & Chriſtianus Weertius, Principis Procurator; exhibitiſque iuſſu Inquiſitorum Articulis, qui cum ad confitendum, tum ad revocandum erant concepti, rogatus, quid animatus eſſet; reſpondet, *ſe malle comburi; quam revocare, quæ adſeruerat præcipue vero Articulum de Satisfactione*. Procuratori pœnam Hæreticis, ſi convicti fuerint, vel ipſi confeſſi ſe errare, ſtatutam ex Decretalibus occinenti, dixit, *ſe nullo prorſus terreri ſupplicio; Verbum Dei curæ cordique ſibi magis eſſe*.

b Septem. III. Reverſo Hagam Cruningio,

Adpulerat [b] iam, ab Inquiſitoribus vocatus, Hagam Cruningius; cujus Dynaſtæque Beverenſis auctoritate commiſerant primum illi Tragœdiam; ideoque, eo conſpecto, nullus non Cauſſæ finem ſibi pollicebatur, indieſque avide & magno deſiderio exſpectabat.

c Sept. VII, VIII, & ſeq.

Comitijs hinc aliquoties [c] non in Præfectura, ſed in domo Præſidis Aſſendelfij habitis, conſertiſque inter ſe in præſentia Præfecti, Præſidis, Conſiliariorum, aliorumque multis de Revocatione verbis, ſed fruſtra; Angelo technis Adverſariorum ſe ob ſurditatem circumveniri con-

ri conquerente, ſeque Veritatem non abjuraturum adfir- cIↃ IↃ LIII.
mante, etiamſi mille Suppliciorum generibus foret confi-
ciundus: Inquiſitores tandem ſuum ſtratagema doloſum
ordiuntur, decimoque[a] tertio Kal. Octobris mittunt ad a Septem. XIX.
Præfecturam Fiſcum ſuum cum Vicario Procuratoris Cæ-
ſarei, qui Captivum paullo[b] ante Libris ſuis Scriptiſque b Septem. XVI.
omnibus, quin & Chartæ, Calami, Atramenti uſu ſpolia-
tum, inde ad priſtinum retraherent Carcerem; adducta
Præſidis Aſſendelfij Lectica, qua, ſi commode ire non *Angelus Merula in priſtinum Carcerem retractus.*
poſſet, deferretur; ſed renuens portari invalidis ad locum
deſtinatum pedibus, bis in via quieſcens, ſe confert, hora
poſt prandium prima. Mandarat quidem Hollandiæ Præ-
fectus, ut Vicarius horam duodecimam, qua maior eſſe ſo-
let in plateis hominum ſolitudo, ſolenni huic deductioni
eligeret, quo Senis Captivi reverentiæ & honori, quan-
tum poſſet fieri, conſuleretur; ſed maturius convenire, ne-
ceſſariaque parare non potuerant. Quum eſſet in Porta,
nupero Carcere, Fratris Filium Gulielmum Merulam op-
tabat ad Præfecturam redire, ut quædam inde aſportaret,
commoda Captivo & neceſſaria: ſed quum hic didiciſſet
& Patruum ipſius miſertum, & Inquiſitores etiam alias ob
cauſſas præcepiſſe, ut, ſi exiret, amplius non admitteretur,
manſit; malens Carceris moleſtias & tædia ferre, quam
Patruum, tam multis miſerijs & calamitatibus obrutum,
deſerere. Elapſis paucis diebus veniunt[c] in Carcerem c Sept. XXIV.
Ruardus & Caſtrenſis, Inquiſitores; comitati Zegerio &
Weldamio Conſiliarijs. Hic rurſum ingentes de Abjura-
tione Velitationes, & miſti precibus miniſque inſultus. *ab Inquiſitoribus ad Abnegationem ſollicitatur fruſtra.*
Angelus perſiſtens in propoſito, *Veritatem abiurare non poſ-
ſum*, inquit, *nec debeo: quomodo abiurarem, Fide cum Deo agi,
Caritate cum Proximis? quomodo Solam Chriſti Mortem &
Paßionem noſtram eſſe pro peccatis Satisfactionem? quomodo*

cIↄ Iↄ LIIII. *infinita alia, quæ meis Scriptis (habetis illa) probavi veriſſima: vos autem ne verbo quidem refutare vel infringere potuiſtis:* addens, *ſe potius decies velle mori, quam quid indecori contra Veritatem facere.* Quod audiens Ruardus dixit, *Reum fore ab Eccleſia abſcindendum, tamquam Hæreticum ab omnibus habendum, exaugurandum, & infulis exuendum, Curiæque ſeculari tradendum, & igne conficiundum; ſimulque vita, fama, boniſque nudatum æterno igne cum Diabolo urendum, & arſurum cum impijs.* Ad quas ipſius minas & fulmina tacentem, nihilque reſpondentem, iterum rogat Angelum Ruardus, *An aliud vellet facere: Nihil,* ſubinferentem abire jubet: addens poſt biduum Sententiam habiturum. Hinc Gulielmum Merulam accerſitum monent, ut Patruo perſuaderet, ne tam tenax eſſet ſuæ opinionis: ipſum etiam reliquoſque Conſanguineos perpetuam incurſuros [a] infamiã atque ignominiam, ſi eo res deveniat, ut Reus ſit tamquam Hæreticus condemnandus & comburendus. Biduo [b] poſt, quum Sententia contra Angelum putaretur pronuntianda, quidquid erat Hagæ Compitorum vicorumque maximis tumultibus perſonabat a Populo, qui nullum fere intermiſerat diem, quo non conflueret ad ſpectaculum, ſi quod ederetur: miſerabantur venerabundi ſortem Senis & calamitatem omnes Hollandiæ Ordines: favebant ipſius Cauſſæ plures, quam qui palam id profitebantur: in ore omnibus erat, Inquiſitores numquam tantum nefas auſuros fuiſſe, ſi Iodoci iſti Cruningij, Principis Ioannis Pater Fraterque, qui Paſtorem ſuum in ſinu quaſi geſtarant, vixiſſent, vel ſaltem ſi Ioanni Cruningio alieniorem in illum mentem non conciliaſſet Beverenſis adfinitas: Commendabant Captivum (ut de eo ſcribunt alij, inter quos Hermannus, Comes Novæ Aquilæ) inſignis eruditio, ſtupenda vitæ integritas, admiranda cunctis facundia; comi-

Horribiles Ruardi minas

parum curat Angelus.

a *Falſus Vates. Nam Felix mihi meiſque hinc Fama, magnum Decus.*

b *Septe.* XXVI.

Tumultus Hagæ, quũ publica adficiũdus morte putaretur Angelus:

cIↄIↄ LIIII.

comitabatur hæc egregia Naturæ dona, inexhauſta in Pauperes benignitas, qui unanimi & conſona voce per compita plorabant, *eripi ſibi Parentem & Patronum unicum egeſtatis omniſque adverſitatis ſolamen* : nam Patrimonium habens luculentiſſimum Hoſpitia ijs, qui tenuioris erant fortunæ, in Opido Brielenſi ædificarat. Ipſos etiam Adverſarios lego faſſos, omnia Angelo adfuiſſe, ſtabilitam Scripturis aſtutiam, docendi ſuperbiam, defendendi quæ ſemel animo conceperat pertinaciam, perſeverandi in propoſitis inſaniam, invictam diſſerendi diſputandique facundiam; ſeque ad illum collatos tamquam piſces fuiſſe, verbo non potentes contradicere. Videntes, quæ dixi, multoque ante quæ eventura, ſcientes Inquiſitores; quærebant quo pacto ulciſcendo turbas vitarent: abſolviſſent lubentes; ſed verebantur, ne Viri prudentiores Abſolutionem interpretarentur Cauſſæ, tamquam contra jus æquumqne cœptæ, deſertionem. Legitimo Iudicio ut perderetur, vix fieri poterat propter Populum & Iuriſconſultos, qui clamabant in hoc negocio vim fieri Foro, nec ullum ſervari ordinem. Sententiæ igitur pronuntiationem in biduum differentes, ſubornant Epiſcopum Eboracenſem, Trajectenſem Suffraganeum & Paſtorem tunc Harlemenſem: qui ſolus Carcerem ingreſſus perſuadere Captivo, ſemotis Arbitris, conatur, *ut agnoſceret Errores*; *ſeque exoptato multis reditu conformaret Eccleſiæ Catholicæ, & non crearet* [a] *infamiam ſuis Conſanguineis, ſuoque Nomini fœdam inureret notam, quum pro Honeſto, Docto, Catholicoque Viro ad illa uſque tempora ab omnibus eſſet habitus*. Ad quæ Angelus, *Non ſcire ſe*, inquit, *ab Eccleſia ſe receſſiſſe, ſed ſemper & manſiſſe, & manſurum: attamen propter Abuſus & Morbos, quibus Eccleſia diu infecta, ſe plurima adnotaſſe; inde ſe gravari iam iniuſte, & contra omnem æquitatem: Scribendi ipſi occaſionem dediſſe Concilium,*

qui iterum ab Eboracenſi Epiſcopo ad Abnegationem invitatus,

[a] *Neque hic verus Vates.*

in propoſito perſiſtit:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↄIↄ LIIII. cilium, Cæſarem, Ordines Imperij, præcipue vero Reformatio-
nis Libellum: eius examinandi Cauſſa vocatos fuiſſe Traiectum
Eccleſiaſticos, qui aliquam eruditionis famam habebant: Se et-
iam; ſed propter invalitudinem & corporis infirmitatem ma-
nere domi coactum, Procuratorem miſiſſe ad Epiſcopum, eiuſ-
que inſtinctu hortatuque auſum ſe fuiſſe notare multa, cona-
tumque non pauca emendare, quæ iam ipſi in quæſtionem ver-
tunt, Hæreticiſque Articulis adſcribunt; quum tamen illorum
cauſſa nullum excitarit tumultum, nullamque cum aliquo di-
ſputationem inſtituerit, ſed in ſuum uſum notata ſepoſuerit.
Inferenti Suffraganeo, Ruardum conqueri de Captivo, quod
conqueſtus de Ruardi perfidia. nullum voluerit cognoſcere, vel revocare Errorem; reſpon-
dit, niſi perfidia ſua Ruardus Cauſſam hanc fœdaſſet, potuiſſe
placidius controverſiam totam componi; Senatum ante dies ali-
quot diffinijſſe, ut in genere Reus fateretur, ſe in quibuſdam
Medijs & Adiaphoris erraſſe, & ab tali Confeſſione, ne cauſ-
ſam videretur alicui in Populo tumultui dediſſe, non prorſus
abhorruiſſe; ſed Ruardum ſequenti die reverſum inſtitiſſe, ut
in ſpecie Adſertiones omnes, quamvis Sacris Litteris corrobo-
ratas, abiuraret: Se hoc facere noluiſſe, & dixiſſe; Qui con-
tra conſcientiam facit, ædificaturum gehennam, & id genus
alia. Quum hic Epiſcopus adſereret, ſe eius rei ignarum eſ-
ſe; ſed Ruardum dicere, ipſum non velle ullum errorem agno-
ſcere, ſeque in eum finem venire, ut ſaniorem ipſi mentem ad-
ſpiraret, utque ipſe ſe erraſſe cognoſceret, quum errare ſit hu-
manum: ſcire ſe, ait, quod errare potuerit, & poſſit; ſed con-
ſcientiam ſuam ullius Erroris aut Schiſmatis ſeminandi, vel in
Populo ſpargendi nondum eſſe conſciam: ſcire ſe ad quid dix-
erit, quæ hinc inde ex ſuis Libris conſarcinata. Admonenti
præter hæc aliorum plurium dixit Angelus, ſe numquam re-
ceſſurum ab iſtis Articulis; Solum Deum adorandum & in-
vocandum; Solum Chriſtum eſſe Advocatum, Interceſſo-

rem.

rem, Patronum; vanum eſſe cultum Imaginum, iïſque nullum honorem eſſe præſtandum; Iuſtificationem ex Sola eſſe Fide, non Operibus ullis, ſed Solius Paſsionis & Mortis Chriſti Meritum omnium noſtrorum peccatorũ eſſe Satisfactionem. Interrumpenti, quum plura videretur additurus, dicentique Epiſcopo, quod Fiſcus invenerit ipſum inter alia notaſſe, *Dynaſtas Beverenſem & Cruningium Cauſſæ ipſius eſſe proditores:* reſpondit, *Neſcire ſe hæc inter illa eſſe ſcripta, quæ cũ furto, tum vi Fiſcus abſtulerat: adſerere ſe nihilominus, Beverenſem fuiſſe cauſſam, eũque toti Tragœdiæ fontem aperuiſſe: ſe ab eo, ipſiuſque Adfine, aliunde exſtimulatis, delatum fuiſſe Traiectum, Sonnioque ab iïſdem iniunctum, ut Inquiſitionem inſtitueret: humanius multo Dynaſtam eiuſque Coniugẽ potuiſſe agere, ſi ipſum honeſte miſſum Brielam abire permiſiſſent, vitam acturũ cum ſuis pauperibus & orphanis, præſertim perpetua conflictantẽ invalitudine, variïſque Morbis; ſed Dominam aliquoties rogaſſe; & per alios petiïſſe, ut maneret; quodque ob Morbum non poſſet, per alios faceret; Conciones tantum cum commodo ſuo haberet: hoc idem & ipſum Principem conceſsiſſe, ſeque eam ob cauſſam manſiſſe: Beverenſem item ipſi promiſiſſe non multo ante cœptam Tragœdiam, quum tamen cogitata iam eſſet, omnem amorem & benivolentiam: ſe porro totam Cauſſam committere Deo, qui omnium juſtus futurus Iudex.* Poſtridie [a] rurſum accedit Angelum Epiſcopus Eboracenſis; qui, quum per occaſionem non nihil actum eſſet de Canone Miſſæ, Confirmationis Sacramento, aliïſque non magni momenti Articulis, iterum cœpit Captivum hortari ad Abiurationem: reſpondentem, *numquam illud futurum*, Epiſcopus arguit, *ipſum ſolum melius velle ſapere, quam totam Eccleſiam:* Inferentem, *ſe ſecundum Verbum Dei ſapere, & ex eius præſcripto ſe conformare; non autem pendere ex hominibus, aut hominum Commentis, vel dictis, ſed ex Solo Deo, Soloque Dei Verbo; Ab-*

ↀ Ↄ LIIII.

ſiniſteriore que Beverẽſis & Cruningij in Se,

quum aliud Verbis vultuque promitterent, adfectu.

a *Sept.* XXVII. Rurſus ad Palinodiam inſtigatus Angelus,

obnititur.

 uſus

cIↃ IↃ LIIII. *uſus eſſe*, *Reſponſorium*, Chriſti Virgo; *Antiphonam*, O Maria, cujus Oratio de potenti procedit Brachio: *Hæc & ſimilia Eccleſiam canere, quum tamen non ſint ſecundum Verbum Dei; ut nec illud, quod quibuſdam in Locis auditur de Virgine Sancta*, Agna Dei, quæ tollis peccata mundi &c. quum moneret Epiſcopus hæc & talia Superioribus eſſe ſignificanda: *quomodo poſſim melius commodiuſque*, inquit *Angelus, quam mecum ſolum & cum Deo adnotando?* Rurſum hic Eboracenſe Abjurationem urgente, abnuit plane, *negaturum ſe quid Veritatis*, Angelus; quamvis ille dira multa minaretur. Digreſſo eo, Sacerdos quidam, qui comitatus Epiſcopum fuerat, prehenſa Angeli manu, rogat, ut adſentiret; ſed quum obfirmato eum animadverteret animo, flens, in ſuam etiam abijt viam. Quarto [a] tandem Kalendas Octobris Inquiſitores (qui cenſebant quidem numquam in quoquam, qui ab initio ſtabilitæ Inquiſitionis pœnas dederant, cauſſas mortis magis abundaſſe; fatebantur autem ſe nullam videre viam, qua ex labyrintho ſeſe ſine vitæ periculo extricarent) adparari iuſſis, quæ ad Incendium erant idonea, ſed parce & diſſimulanter, ut vitarentur turbæ, Angelum citari jubent ad audiendum Sententiam. Is lætitia adfectus, ſibique gratulatus, finem tam multis miſerijs & calamitatibus inſtare, Filio Fratris Gulielmo Merulæ, fideliſſimo ad illum uſque diem conſorti, Pacis oſculo valedicens (nam non putabat ſe rediturum, præſertim quum etiam Præſbyterum ab Confeſſionibus Ruardus ad ipſum miſiſſet) alacri vultu progreſſus, ab Fiſcali Lictoribuſque in Senaculum introducitur: quo præter Provinciæ Præfectum, Præſidem, & Senatores omnes convenerant cum ſuis non ſolum Inquiſitores, quibus triumphus iſthoc die debebatur & ſumma rerum auctoritas; verum etiam Dynaſta, de quo ante dixi, & aliquot Viri

[a] *Sept.* XXVIII.

Citatus ad Sententiam audiendam Angelus,

Viri Iuriſdictionis Heenvlietianæ Beneficiarij. Hic ſubornatus iterum ab reliquis, qui omnis conſilij, quo ſe præſentibus difficultatibus liberarent, erant expertes, Epiſcopus Eboracenſis, cujus ſæpe memini, quum Vir eſſet diſertus, ad genua Rei prolapſus, aperto capite, comploſis manibus, exprimens ſubinde nonnihil Lacrumarum, *Scire quidem*, ait, altiſſima voce (nam præ Senio ſurdaſter erat Angelus) *omnes ipſum, ſi comparatio ſit inſtituenda, Magiſtris centuplo doctiorem eſſe, & non malam tueri Cauſſam; orare tamen, ut redeat avortendo tumultui, ad Matrem Eccleſiam, eiuſque Sententiæ ſubſcribat; videre iam ipſum, exarſiſſe eo Populum, ut, ſi quid durius ſit ſtatuendum, Doctores Iudiceſque ſalvi vix ſint evaſuri: ne pium duceret, Adverſarios furori Lanienæque obijcere Opificum: Si tu vitæ tuæ ſis prodigus*, inquit, *quid Nos tui facis Reos? ſi pergere ſit animus, alium facile reperies hoc crimine onerandum; qui non quantum nos, tuis præclaris dotibus tribuat, neque etiam quantus ſis, multo enim periculo eſt opus, intelligat: fac obruamur Lapidibus (hoc enim inſtare vidiſti, quum huc ex Carcere ducereris) anteaquam noſtrorum Factorum rationem reddiderimus: ampliſſimus tamen hic Senatus, Iudicio adſeſſurus, teſtis erit, te temerario quodam impetu & Martyrij gloriam adfectaſſe, & inexpiabile noſtræ necis flagitium tibi conciliaſſe: Recolligeret igitur ſe, & ſe perditum ne iret, cui perire non neceſſe, ſi vellet: ſervaret ſe tot Pauperum ploratibus, tot Vulgi favoribus, tantæ apud omnes Ordines, hos præcipue præſentes, exſpectationi; Magiſtriſque largiretur, tamquam ſummũ Beneficium, ut contra quam eſſe vulgo putantur, Servatores cenſeantur piorum hominum, nõ Oppreſſores; daret ipſis vitam, quã habent, cuius etſi ipſe auctor non ſit, faſſuris tamẽ ſe per ipſum poſſidere, poſtquã eripere in ipſius fuit manu. Exiguum eſſe, quo tãtis malis medeatur, quo ipſorum honori ſubveniat, quo ſuæ ipſius*

cIↄ Iↄ xxxix. in Senaculo Curiæ non tam ad Palinodiã, præcipuorum Fidei Captũ.

ↄIↄ Iↄ LIIII.

& multorum vitæ conſulat; ſi poſthabitis graviſſimis illis Fidei Doctrinæque Chriſtianæ Capitibus; ſaltem fateatur ſe Medios quoſdam Ritus, pia conſuetudine inveteratos, non ſatis prudenter moviſſe: ſic fac, ait, *& vive, Noſque tecum. Si etiam hic gravat Conſcientia, Nos pro Peccato tuo Iudici ſupremo noſtras obſtringimus Animas, ut ipſæ luant, tu inſons ſis.* Addebant hic Inquiſitores Iusjurandum, alteram Reo porrigentes, alteram autem ad pectus adducentes manum: ſuccenturiante etiam ijs Conſiliario Waſſenhovio; qui petebat, *Reus erroneam ſuam Conſcientiam in ipſum conijceret; paratum, ſi quid culpæ committeret; ad Dei tribunal reſpondere.* His dictis, eouſque labefecit Eboracenſis Senem, ut Præſidem Aſſendelſium interpellans rogaret; *quid ſibi cenſeret faciundum?* ſperabant Magiſtri Præſidem Eboracenſi ſuffragaturum: ſed ea ſpes fefellit, quum pauciſſimis moneret, *ut ſe potius intus conſuleret, quam alios.* Angelus quum parum bene præ ſurditate Præſidem intelligeret, & puderet bis ex tanto Viro quærere; reſponſum ejus nonnihil pro ſe interpretabatur; præſertim quum Eboracenſis mox ſubjiceret, *quid dubitaret, quum etiam Senatores conſilium illud haberent ratum.* Rebus ſic ad perfidiam præparatis, ex Senaculo in Iudicium (Audientiam vulgo vocant) Inquiſitores reliquique, Præſide & Senatoribus comitati, concedunt: quibus ibi pro Tribunali, conſpicuo maxime Palatij loco, conſidentibus producitur ad Populum (qui frequens non ex omnibus tantum Hollandiæ Opidis, ſed ex varijs etiam Provincijs, præſertim ex Gelria, confluxerat) Reus: nec mora, dum adhuc ſtrepunt omnia exſpectatione, prolatis Inquiſitionis Commentarijs, non Mediorum Rituum & Adiaphororum, quorum in Senaculo facta fuerat mentio, Articuli, ſed prius quidem ſexaginta ſeptem, quos Angelus intrepide jam multo ante confeſſus fuerat,

quam ad Confeſſionē quorūdam in Adiaphoris Errorum ab Inquiſitoribus ſollicitatus,

in ipſo Iudicio apud Populum miſere decipitur:

& pro

& pro quorum veritatē tuenda ſe nihil non ſuppliciorum ſubiturum dixerat, ut ab Reo in præſentia revocati; deinde vero totidem, ijs ab Inquiſitoribus pro ſuo libitu directo oppoſiti, tanquam ab eodem Reo tunc probati, & in priorum locum admiſſi, voce recitantur cum celerrima, tum ſubmiſſa, ut nec Vulgus intelligeret, quid ageretur, nec ipſe Reus adſequeretur; partim quod jam ante aliquot annos ſurditate occalluiſſet, partim quod colloquentem diſtinerent nonnulli ad hoc ſubordinati. Articulis item quædam coronidis loco adjecerant Inquiſitores; quæ etiam fuerunt, quo dixi modo, lecta, Revocandis quidem (ut in ſpecie per dolum quoque fuit factum) hæc: *Reum ulterius abiurare & deteſtari omnem & quamcunque Hæreſin, tam Martini Lutheri, quam quorumcunque aliorum; nec non quoſcunque alios Errores, quovis modo repugnantes Orthodoxæ Fidei & Traditionibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ: inſuper ſentire ipſum, tenere & recognoſcere Martinum Lutherum, & alios omnes eum ſequentes, tanquam Hæreticos cum eorum Dogmatibus, Libris ac alijs quibuſque Scriptis, fuiſſe & eſſe rite legitimeque ab Sancta Sede Apoſtolica condemnatos & reprobatos; eorum denique Libros, Tractatus, Sermones, ac quæcunque eorum Scripta recte vetita legi & teneri, incendioque tradi mandata: præterea jurare Reum, quod ſe amplius non ſit implicaturus vel erroribus præſcriptis* (de Articulis LXVII primo lectis hoc intelligendum) *vel alijs ullo modo Fidei Catholicæ Orthodoxæque Traditioni Romanæ Eccleſiæ repugnantibus; neque deinceps huiuſmodi Errores commiſſurum; aut tales eiſve ſimiles committentibus vel ijs adhærentibus auxilium, conſilium, favorem, publice vel occulte, per ſe vel per alium ſeu alios, præſtiturum.* Probandis autem Articulis, quoſque contra prælectos confiteretur (quod etiam perfidioſe curatum) hæc ſubjecta, eodem pacto eademque feſtinatione ſunt le- cIↄ. Iↄ LIII.

cIↄ Iↄ LIIII. cta: *Reum conſequenter conſentire Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus, & per omnia, quæ ad Catholicam Fidem & Chriſtianam Religionem ſpectant; atque etiam credere & confiteri, quæcunque eadem Sancta Romana Eccleſia & Fides Apoſtolica hactenus confeſſa fuit & credidit, & adhuc confitetur vel credit; Profiteri autem illa omnia* (de Articulis LXVII oppoſitis capiundum) *vere non ficte, neque ſimulate, ſed ex animo ſincero, pleneque de veritate inſtructum: inſuper jurare & jureiurando ſolenni promittere per Sanctam Trinitatem, ſe in unitate & veritate Eccleſiæ Romanæ & Catholicæ ſemper & ſine dubio permanſurum; ipſum præter hæc omnes, qui contra hanc Fidem venerint cum Dogmatibus ſuis æterno Anathemate dignos eſſe, judicare: ſi ipſe aliquando (quod abſit) aliquid contra ſentire aut Voce Scriptiſve proferre præſumſerit, paratum eſſe Canonum ſeveritatem ſubire, ſeque æternæ pœnæ jam obligatum eſſe fateri: ulterius Reum rogare omnes & ſingulos Chriſti Fideles; ut pro ſe devote, humiliter, & ex corde ad Omnipotentem Dominum preces fundant eiuſque pro commiſſis Erroribus Miſericordiam implorent, rogent etiam quoſcunque ſuis malis & erroneis ſcriptis & concionibus ab vera Catholicaque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Doctrina & Chriſtiana Religione ſeduxerit, averterit, infecerit, ad unitatem Fidei Catholicæ ac veram Chriſtianam Religionem reducere, ac etiam ipſis condonare dignetur.* Recitatis omnibus, mirum quam hominum converſi fuerint animi: cernere & audire erat pro favore indignationem; pro commiſeratione, iram & fremitum. Interrogatus an hæc ita retractaret, adnuit atque ſubſcripſit; non cogitans, niſi de illis Medijs & Adiaphoris, in quæ fere convenerant, quæque ad ipſius arbitrium & Sententiam etiam erant mutata & correcta. Quum ante ſubſcriptionem (nihil enim, dum recitabantur, intellexerat) omnia legere & recognoſcere accuratius vellet, feſtinandum

indignante mirum in modum Populo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

nandum eſſe clamabant, cum ob Populi furorem, tum quod alia reſtarent agenda. Poſtquam dolo Spectatores (quorum numquam de ullo alio in hac arena ſimilis fuerat exſpectatio) varie Inquiſitores adfeciſſent; Reum autem inconſtantiæ nota maculaſſent: Sententiam Ruardi juſſu, pronuntiat Nicolaus Caſtrenſis, de quo ſæpe dixi, Theologiæ Licentiatus in pedes erectus, in hunc modum: clↃIↃ LIIII.

Angelum graviter contra Fidem Catholicam Romanam erraſſe, eundemque fuiſſe, & in hunc uſque diem permanſiſſe Hæreticum manifeſtum, pertinacem & nulla ductum pœnitentia; ac propterea Sententiam Excommunicationis aliaſque Cenſuras & Pœnas Eccleſiaſticas, tam per Canones, quam per alias Conſtitutiones S. Sedis Apoſtolicæ contra Hæreticos promulgatas, incidiſſe: Sed quum idem Reatum ſuum nunc tandem agnoſcens pro Inquiſitorum arbitrio dictos Errores, & aliam omnem Hæreſin revocarit & abiurarit, vereque & ſine ſimulatione ad unitatem Fidei Catholicæ redire, & Satisfactionem recipere ſe paratum obferat; ſe (Ruardum intellige) *eundem vere pœnitentem ad huiuſmodi Revocationem & Abiurationem admiſiſſe: velle nihilominus, & decernere, ut Libri ipſius, & quæcunque alia Scripta, quæ Hæreſin continent, igne comburantur; ipſe vero Eccleſiæ Heenvlietianæ Cura aliјſque, ſi quæ obtinet, Beneficiјs privetur, privatuſque perpetuo maneat: interdictis eidem omni Prædicatione, Confeſſionum auditione & quacunque Paſtoralis Officiј adminiſtratione: mandare item, ut intra quindecim dies proximos, die quodam Dominico vel Feſto Abiurationem & Confeſſionem in ſuggeſtu Eccleſiæ Heenvlietianæ, dum inibi maior Populi multitudo ad divina audiendum convenerit, legi publicarique faciat: Ipſum denique Reum damnare Se, cum ad perpetuos Carceres in loco deſignando, ut inibi ſemper in pane doloris & aqua triſtitiæ pœnitentiam agat, & peccata ſua defleat, tum in omnes & ſingulas* Sententia contra Angelum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↄ Iↄ LIIII. *gulas expenſas, tam Adprehenſionis, Carceris, Cuſtodiæque, quam Litis totius quacunque occaſione factas; earundem Taxatione ſibi in poſterum reſervata.* Pronunciatis his addidit quædam ad mitigandam Populi iracundiam voce (ne mandata ſcriptis obligarent) Eboracenſis Epiſcopus; *Bonis ſuis uteretur, frueretur; Gulielmo Merulæ, reliquiſque Amicis ad illum aditus eſſet; libera concederetur illi Studiorum & meditandi quies; hæc ei Cuſtodia appellaretur, impenſas Litis diſſolveret; eas Inquiſitores intra certum tempus conſcriptas pro æquo & bono traderent Gulielmo Merulæ, iiſve, quos Ipſe ſuis præficeret Rationibus: ij, ipſo ſecuro, pecunias conficerent; tunc bonos Viros, & præſertim ſe* (adhæc Eboracenſis tanquam ſolenniter illa promittens, dexteram ad Populum protendebat) *inventuros viam, qua ſuis Rationibus rebuſque propius experiundis redderetur; eatenus illam ſtudiorum ſolitudinem qualiſcunque pœnitentiarij Carceris, honeſta tamen & digna tanto Viro menſa, habituram nomen.* Populus, audito fine, iterum ad commiſerationem motus, Iudicum æquitatem cœpit commendare. Nam quum Impenſarum detentioniſque audiſſent mentionem, ſperabant omnes aliquando ſibi reſtituendum, ubi Litis impenſæ eſſent diſſolutæ: quod illi facile erat & in promtu, homini, qui dives agris erat, magniſque & multis opibus adfluebat. Erant non pauci, qui jam tum Inquiſitorum dolos odorati partim indignabundi, partim conſternati domum ſe ſubducebant. Satis conſtat, pleriſque in votis optatiſque fuiſſe, ut Angelus mortem fortiter tolerando, Inquiſitores odio ſui involviſſet: ſed arte occurrentes illi operam dederunt, ut inglorius aliquando apud alios Spectatores ea pateretur, quibus non erat tutum apud tantos Fautores eum adfici, quemadmodum ſuo loco audiemus. Reductus in Carcerem, & non multo poſt intelligens ex Gulielmo Merula, qui ab

Sententiæ pronunciatæ quædam dolo tegendo mitigandoque Populo, Eboracenſis ore adduntur.

Variorum poſt latam Sententiam adfectus.

cIↃ IↃ LIIII. Angeli ex facta dolo Inquiſitorũ Abjuratione, non ſolũ Moeror,

qui ab alijs acceperat, factam impoſtura techniſque Ruardi & cæterorum ab ſe, licet imprudente & inſcio, Abjurationem; animo, ſupra quam dici poteſt, attonitus mœrenſque, quod hoc ſuo Facto multos eſſet offenſurus; *O Domine Deus*, inquit, *quam ſubdole mecum egerunt iſti Sycophantæ togati! Anne cui pes alter in Sepulchro, quique iam naturæ curſu ſemimortuus, ſic mortem formidare ſum viſus, ut Veritati tuæ vis fuerit facta, eaque perfide abiurata: abſit clementiſſime Pater: numquam hoc cogitavi, numquam tantum ſcelus in animo mihi fuit, numquam cum tuæ Veritatis hoſtibus talia inivi conſilia. O Deus dolis me circumvenerunt, tuumque Populum ſeduxerunt.* Placare conſternatum nemo poterat: & tam altas pauculis diebus dolor radices egit, ut in gravem acutumque non ſine ſummo vitæ periculo morbum delapſo,[a] neceſſe habuerit Gulielmus Merula, oblato[b] Senatui ſupplice Libello, petere, ut ex duro Carcere in locum commodiorem transferretur: quod Senatus, preces Veritate niti per Medicos ad examinandum miſſos[c] edoctus, ex nutu Sententiaque Epiſcopi Eboracenſis, qui Delphis erat, permiſit, adſignato in Vrbe Delphenſi D. Magdalenæ Coenobio: in quod eodem die (ſpondente pro Reductione in priſtinum Carcerem, quum neceſſe foret, Gulielmo Merula) curru eſt tranſportatus; manſurus ibi ad menſem Martium ſequentis anni. Delphis dum detinetur, cum Apologiam ſcribit nervoſam pro ſua Innocentia, tum validam Sententiæ contra ſe ab Ruardo latæ Refutationem, Iure & Civili & Canonico, Doctorum auctoritatibus, alijſque modis ſtabilitam; probans multis *Sententiam*, quam dixi, *varias ob cauſſas contra Iura Scripta Conſcientiamque latam; contra Ordinem Iuris pronunciatam, eſſe & fuiſſe iniuſtam, malam, & perverſam, falſam figmentaque & mendacia continentem, atrocibus farcitam iniurijs, per ſordes*

verum etiã Morbus:

a *Octobr.* XV. *& ſeqq.*

b *Octob.* XVII.

c *Octo.* XVIII.

adeo ut ex Carcere in locum commodiorem fuerit tranſportatus; ubi cum Apologiam ſcripſit pro ſe, tum Refutationem contra Sententiam:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

ↀↃↃLV. *des denique excuſſam; ideoque invalidam eſſe, nullius habendam eſſe momenti, nullius roboris.* Omnem interim lapidem movebat Ruardus, ut ex Hollandia Captivus Lovanium tranſportaretur. Et quamvis apud Hollandiæ Ordines initio [a] Martij plurimũ ſolicitarat Gulielmus Merula, ne contra Privilegia extra Provinciam Patruus duceretur; majores tamẽ vires habuit importunior Inquiſitoris (prætendentis non vacare ſibi in Hollandiam redire, & nihilominus pleraque, quæ Eboracenſis promiſerat, tranſigenda reſtare) apud potentiorem Mariam, Belgicæ Præfectam, perſequutio: qua tandem effectum, ut ex Patria in Brabantiam a Procuratore Generali fuerit pertractus, Lovanijque in Cellitarum (qui Veſpillonum & Libitinariorum munus paſſim obire ſoliti) monaſterium fuerit conditus; [b] ibique ſervatus, loco cum incommodiſſimo, tum immundiſſimo; omni deſtitutus Amicorum (nam & Fratris Filio ſecludebatur aditus) qui neceſſitatibus ipſius ſuccurrerent, auxilio; Senex adoleſcens in Servitutem, quum alij ſeneſcere ſolent in Libertatem. Qua de re quum ſcriptis [c] litteris conquereretur apud Nicolaum Eboracenſem Epiſcopum, reſpondit [d] ille, *quod factum hoc eſſet præter omnem ſuam ſpem & exſpectationem: ſibi enim ab Ruardo addictum, ipſum apud Martinenſes collocatum iri: ſe interim, ut quantam habeat ipſius rationem demonſtret, ſcribere ad Cancellarium, ut Senij memor alibi ipſum collocare velit. Si aliquando fuiſſet paſſus ſe Traiectum deferri, facile calamitatem illam potuiſſe evitari: hominem, dum a ſe pendet, ab ſeipſo maxime lædi: cogitaret in hac vita neminem diu permãſurum, ideoque æquiore ferret animo ſua mala, maxime perpendens, per Crucem Viam eſſe ad Gloriam: Sanctos Viros ſæpenumero ultro quæſijſſe, quo in hoc mundo Peripſema eſſent, & proculcarentur, ut Chriſto idonei fierent; id ipſi nunc abunde obveniſſe.*

a *Martij* I *ſequẽtibuſque diebus.*

contra Privilegia extractus Hollandia, Lovanium abducitur.

b *Mart.* VIII.

c *Martij* IX.

Conquerẽti de Iujuria ſibi facta reſpondet Epiſcopus Eboracenſis.

d *Martij* XXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↃ IↃ LV.

niſſe: ſuper Babylonis flumina ſedentibus flendum eſſe; ſed recordationem Zionis luctus omnes refocillaturam: viriliter ageret, Dominumque exſpectaret, ne frangeretur in huius Mundi adverſis, ſed alterius Vitæ ſpe ſe ſuſtineret. Ruardus interim nihil per confictam, quæ paſſim tamquam vera circumferebatur, quæque vehementer Angelum cruciabat, Palinodiam; nihil per dolum technaſque, quibus miſerum Senem inſcium & nihil tale cogitantem in Hollandia circũvenerat; nihil denique per ignominioſam, quam contra eundem pronunciari curarat, Sententiam mitigatus; acerbius, quam antea, Captivum intra ſui Principatus quaſi pomeria pertractum Inquiſitione nova exagitat, ſuiſque velitationibus & telis laceſſit: Academicis omnibus, cum primis autem Officiali, iniquitatis Ruardum inſimulantibus; & conſcripto dudum totius diſputationis negocio, ſed mala fide ſuppreſſo, abunde ſatisfactum Inquiſitori cenſentibus. Academicis autem occaſionem de Angelo ejuſque Cauſſa curioſius ſciſcitandi, dederant cum illa, quæ in Hollandia, loco tam conſpicuo, audierant contra eum ab Sonnio, Ruardo, reliquiſque acta; tum verba nonnulla, quæ forte-an in Convivio quodam, Primoribus urbis Academiæque Viris præſentibus, protulerat Ruardus; *ſe numquam quem comperiſſe ſtudioſiorem Angelo, ſed contra propriam ipſius ſalutem.* Sævire pergens, [a] eo acerbitatis prorumpit, ut ipſum non ſolum menſa Monachis Cellitis, apud hos enim, ut dixi, collocatus erat, communi prohiberet; verum etiam omnibus ad eum aditum præcluderet; quin etiam ter ſeptimana, diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris Panem ſolum Aquamque porrigi juberet, multos enim eum ſuo veneno per familiares nimium congreſſus & quotidiana colloquia inficere perhibebant Adverſarij; adeo etiam, ut Cœnobiarchæ, cujus nomen ignoro, datus [b] fuerit

Ruardus ob nimiam in Angelum acerbitatem Lovanij male audit.

a *Mẽſe Iunio, Iulio, & ſeq.* Ingẽs Ruardi in Captivũ ſævitia.

b *Iun.* XXVII.

cIↃ IↃ LV. Monachorũ erga Angelũ commiſeratio.

fuerit ſucceſſor Petrus Wouwerius; multique Monachi ex Clauſtro ſe quotidie proriperent; manentes partim ſortem ejus commiſerabantur, commẽdata etiam inter mendicandum (nam hæc ipſis Profeſſio eſt) ejus & pietate & patientia: partim quæ furtim ex illo audiebant de Ruardi malitia & Haganarum Actionum falſitate ebuccinabant cum apud alios, tum Academicos & Studioſos, qui quum in manibus iam diu haberent ejuſdem Ruardi & reliquorum artibus factam Palinodiæ, Captivi nomine præfixo, Formulam; & intelligerent non ſolum omnia ab Inquiſitore, ut ſe moleſtijs evolveret, & turbis, quas moverat, liberaret, eſſe conficta; ſed & Angelum quidquid & privatim & publice apud Populum docuerat, vel in Iudicio decretiſve diſputationibus defenderat, ſcripto verbiſque magis ac magis confirmare; mirum quam linguis animiſque confaverint, non tam quod ejus Cauſſam foverent, & promotam cuperent (quales tamen erant non pauci) quam quod occluſa in pectoris penetralibus alias ob cauſſas in Ruardum odia, non liceret, qua optabant libertate, effundere. Litteris quoque mandatum apud quoſdam invenio, Monachos Sandapilarios apud Ruardum etiam auſos fuiſſe deprecari, ut Captivus mitius liberaliuſque haberetur (cujus rei etiam nonnulla documenta in Diarijs reperio) interrogatoſque, *num & ipſi iſtius Circes pocula bibiſſent?* magna confidentia reſpondiſſe, *ſe certo ſcire, illum Hæreticum, quiſquis eſſet, centuplo Inquiſitoribus meliorem eſſe.* Eidibus[a] Sextilis acceſſit Captivum, comitatus Cloetingio Ruardi, Fiſco quidam, cujus nomen ſileo, ex prima Nobilitate Belgica, qui quum præter alia, quæ in oculos incurrebant, Codicem quemdam volveret chartaceum, in quo multa Reus cum memoriæ cauſſa notarat, tum contra Ruardi fraudes, Haganos dolos, falſas propoſitiones, fabrica-

Academicorum in eumdem Studia.

Monachorum de Angelo Iudicium.

a: *Aug.* XIII. Cloetingij Fiſcalis improbitas.

bricatam Abjurationem, injuſtamque Sententiam collegerat, acceptum ab eo, quaſi ex compoſito illud fieret, Fiſcus curſim perluſtrat. Reus interrogatus, quid in eo rurſum moliretur, *Se cum Deo*, reſpondit, *agere, non amplius cum hominibus ſibi rem eſſe; Deo, quum non poteſt hominibus, probatam velle Cauſſæ ſuæ innocentiam; Deum ſcire, utri parti melior ſit de Fide ſententia; Deum juſtum futurum omnium Iudicem*. Reſtituere nolenti dicentique ſe Ruardo oblaturum, Angelus, cui grave & moleſtum erat totius ſuis Scriptis ſpoliari, *ipſum*, ait, *& Ruardum, alioſque difficulter habituros, quo ſe apud Deum purgent*. Quibus illi non admodum commoti in rem ſuam abierunt. Non multo poſt novus Coenobio datur [a] Pater, Wouda Cognomine; qui tertia ab Electione ſeptimana [b] accedens Angelum, omnia ipſi humanitatis officia exhibuit; nuncians ægre ſibi eſſe, quod Ruardus evocato ad ſe mandaſſet ſub pœna, ut loquuntur, Excommunicationis, uti Captivo ter hebdomada ferijs ſecunda, quarta, & ſexta cerviſiam tantum & panem miniſtraret. Cui reſpondens Angelus, *Se*, aiebat, *eam ob cauſſam non turbari: Hominem iſtis ſolis facile ſuo Deo poſſe vitam in annos etiam multos trahere: Delicijs generoſas Mentes ſæpenumero obrui: Hoc enim ante trimeſtre etiam ei, cui ſubrogatus fuerat, ab Inquiſitore fuiſſe iniunctum: Cupedijs Mundi Filios adſueviſſe. Facite*, addebat, *quod vobis bonum videtur*. Non ceſſabant [c] inter hæc inquietare varijs exſecutionibus Captivum Adverſarij; miſſis, qui quidquid ſuperabat (parum autem illud erat) ſupellectilis, cum alius, tum librariæ, ad ſolvendos ante-actarum litium ſumtus, immaniter diſtraherent. Ad quam indignitatem Captivus ſemel in hæc erupit verba, *Habeant ſibi in nomine Domini, & devorent, quamdiu quid ſit. Dominus eſt dives in ſuos, & juſtus Iudex*. Occiderat his diebus Lovanij Patrem ſuum

[Margin notes:]
cIɔ Iɔ LV.
a *Aug.* XVII.
b *Sept.* VIII.
Captivo Victus Potuſque minuuntur.
c XX *Sept. & ſeqq.*
Cum alia, tum Libri Scripta quæ eripiuntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↄ Iↄ LV.
Stupenda in Ordine Eccleſiaſtico Facinora.
a *Sept.* XXVII.

quidam Sacerdos, qui paricidij convictus, & degradatus, ut loquuntur, quinto [a] Kalendas Octobris capite minutus eſt. Gladio ſe quoque interfecerat ſub finem Auguſti in Lovanij Suburbanis alius quidam Sacerdos; Tertius inſuper eodem anno circa Paſchatis feſtum apud Centronas ſe ipſum ſuſpenderat. Stupenda ſane in Ordine Eccleſiaſtico tunc temporis Facinora. Reliquerat tractus alio Angelus multis in Hollandia amicis ingens ſui deſiderium. Inter eos erat Magiſter quidam Sebaſtianus Hagienſis; cui literis munuſculiſque officioſo reſcripſit: [b] *Se adhuc exſulem eſſe, & incarceratum; ſic Deo Opt. Max. placere; eius Voluntati conformem ſe reddere; id convenire æquumque eſſe, quum Scriptura doceat, Vitam eſſe in Voluntate. Quamvis enim videamur tribulationes pati, varÿſque tentationibus affligi ſecundum Seculum mundi huius; non tamen a Deo eiuſque nos derelinqui gratia: laborare nos; ſed non deſtitui divino auxilio: humiliari nos; ſed non confundi coram ipſo eiuſque Angelis: deÿci nos a noſtris deſiderÿs & affectibus, etiã utcunque bonis; non tamen perire: Omnem nempe affectum & noſtri deſiderÿ, & ſalutis noſtræ, defectum eſſe, & anxietatem: Chriſtum Ieſum Solum eſſe plenitudinem, perfectionem, & omne ſupplementum, ita ut in illo Solo Fide certa, vera, perfectaque conſummati ſimus, licet ſemper & in omnibus Mortificationem Ieſu Chriſti in noſtro corpore circumferamus, ut Vita Ieſu, Vnici & Solius noſtri Salvatoris, in carne noſtra mortali ſemper manifeſtetur. Qui extra diſciplinam ſunt adulteros, & non filios legittimos eſſe. Quapropter*, addebat, *mi fratrum amantiſſime, conſolemur nos invicem, ſcientes nos noſtræ ætatis, tẽporiſve conſtitutæ militiæ huius vitæ capulũ in noſtris habere manibus, mutuoque nos adhortemur, ut noſtras animas exhibeamus Sponſas caſtas Chriſto Ieſu Domino noſtro, coram quo & noſtræ vitæ reddendam rationem ſcimus.* Alia ibi præter-

b *Nov.* XX.
Litteræ Angeli ad Amicum quemdam ſuum.

eo. In-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

eo. Inviſebant quotidie Captivum, qui cum varijs iam CIↃ IↃ LV.
conflictabatur [a] morbis ex longa Seſſione Carceriſque in- Angelus ab varijs oppugnatur,
commodis, quidam vexandi cauſa, Sacerdotes & Monachi, a *Præcipue* VI
quos in erroribus contra Sacram Scripturam & Antiquo- *Decembr. & ſeqq.*
rum Patrum ſententias obſtinatiores, miranda libertate
Chriſtomachos uno verbo vocatos, plerumque dimittebat; [b] b *Dece.* XIII.
nonnulli vero diſcendi gratia, quos tamen ad ſe plerum-
que delatos Ruardus aditu prohibebat. [c] Quum circa me- c *Dece.* XIV.
dium Decembrem [d] vix nova quædam commentari cœ- d *Dec.* XVII.
piſſet Angelus pro ſua Innocentia contra Haganos dolos
& intoleranda Inquiſitorum Strategemata: supervenit
cum Quintino Macquetio Notario Cloetingius, Fiſcalis iterum ſuis ſpoliatur,
Inquiſitorius. His quidquid præ manibus erat Scriptorum
Impreſſorumquæ violentia quadam (quod ſæpe & antea
fecerant) auferentibus Captivus adeo fuit turbatus, ut ob-
nitens, dolenſque ſe toties laboribus ſuis fruſtrari, vim vi
repellere fuerit coactus; Baculo, cui innitebatur, Raptori-
bus minans. Sed ætatis provectæ jam & invalidus parum
potuit; quum nec animus eſſet Adverſarios lædere: illis
non ſine irriſu dicentibus, *Ruardum ſic* (quod verum non
erat, aberat enim Bruxellis) *mandaſſe, ut omnia perluſtra-
rentur.* Ita ſatis onuſti abierunt, volentes etiam exſcripta
eorum relinquere, quæ ipſo invito exportabant: quum
vero ſpem feciſſent nonnullam reſtitutionis, miſit [e] ad eos e *Dec.* XVIII.
ſuum famulum, cui reſponſum omnia redditum iri, ſimul-
ac ab Ruardo eſſent viſitata. Ibi Notarius, ut Adflicto ge-
minaret adflictionem, graviter conqueri cœpit de læſo bra- multis calūnijs oneratur,
chio, quum tamen ipſum Captivus non tetigiſſet, ſed mi-
natus tantum eſſet Cloetingio Sycophantæ ſuo, qui ſciſ-
ſam clamabat veſtem. Neque hæc talia in vulgus ſparſa
ſufficiebant: ſtudebant [f] & non-nulli contra Captivum f *Eodem die.*
exacerbare animum Cœnobiarchæ, quem ad ſe vocatum

Paſtor

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↄ Iↄ LV. Paſtor S. Iacobi monuit, ſentire ſcribereque Captivum, *Papam eſſe Antichriſtum, ipſumque nulli vel vili facere Romanam Eccleſiam:* & alia. Acceſſit quintiduo[a] poſt Capti-
a *Dec.* XXIV. vum Coenobij Præfectus cum Cloetingio Fiſcali, Macquetioque Notario. Quum inter alia Quæſtio de Confeſſione eſſet orta, dixit Captivus, *Soli Deo confitendum eſſe, non certis per ſuperſtitionem, ſed ſingulis diebus.* Controverſias de alijs Capitibus motas, quod in ſuperioribus ſæpe
cIↄ Iↄ LVI. fuerint ventilatæ, ſilentio prætereo. Nunciavit Kalendis[b]
b *Ianuarij* I. artiore cohibetur carcere, Ianuarijs Angelo Coenobiarcha, ſibi ab Ruardo injunctum, ne quem ad ipſum admitteret; utque effugio, quantum fieri poterat, objiceret impedimentum. Quum adveniens Pater honorem exhibuiſſet neſcio cujus Divi Imagunculæ, occaſionem cepit Captivus admonendi ipſum de Dei Præceptis, ut ea ſibi ſuiſque inculcaret; *Solum Deum adorandum & invocandum:* monens poſtremo, *ut, quod juſſus erat fideliter exſequeretur: Se enim nihil timere Adverſarios, ſeque pro Veritate, quam docuerat Scriptiſque ſtabilierat, tam libenter Ignem ingreſſurum, quam ſumendo*
c *Ianua.* VIII. rurſus ab Ruardo impetitur; *cibo Cœnaculum.* Venit octiduo[c] poſt in Coenobium Ruardus, Officiali comitatus, item Tiletano, Cloetingio Fiſcali, & Macquetio Notario. Varia rogatus reſpondere facereque quidquam renuit, niſi reſtituerentur ea, quibus contra jus & omnem æquitatem non ita pridem fuerat ſpoliatus: Se enim de Iure Scripto non teneri, addens allegansque Iura de Reſtitutione Spoliatorum. Erat enim in Iure Canonico verſatiſſimus. Quod audiens Officialis, nihil amplius fecit aut facere voluit: cui cæteriſque præſentibus
Impotentiæ eundem inſimulat, etiam conqueſtus eſt multis verbis contra Ruardum; quod multos Articulos in ipſum confinxiſſet; quod non paucos dolo malo mutaſſet, truncaſſetque; quod quoſdam videre noluiſſet: quod item in immanes & non neceſſarias (egerat enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

rat enim avare, ſimulans ſe Reo totum vacare, propria; Reique ſumtibus Enchuſam profectus genio per aliquot dies cum Amiculis indulſerat) ab ipſo conjectus eſſet expenſas; quod falſa in ſe pronunciata eſſet in Hagienſi Palatio ab ipſo Sententia; quod Bona ſua Scriptaque vi toties ab ipſo, ejuſque juſſu & mandatu ab alijs indigniſſime eſſent ſublata, quod denique technis omnibus ab ipſo eiuſque collegis eſſet circumventus. Ad quæ ne verbum quidem contra hiſcere potuit; ſed confuſus ore quaſi propilato ſumme tacuit, ſuam avaritiam ſilentio conteſtans. Sed & quum Doctores Raveſteinius & Tiletanus animadverterent Cancellarium injecto rubore obmuteſcere, ad alia Sermones direxerunt. Injecta de Iuramento quæſtione, *Captivum & incarceratum nullo poſſe*, dixit, *adſtringi juramento: Bellum videte*, aiebat, *quod iam nunc ardore tanto tamque multo Chriſtianorum Sanguine inter duos Principes geritur totius Orbis potentiſſimos, unde ortum; quis fons illi primus? Iurarat ſcilicet Franciſcus Gallorum Monarcha in Hiſpania Captivus ab Karolo Quinto Imperatore.* Quum Tiletanus etiam vellet quoſdam excuſare Articulos, & Propoſitiones ſuas corroborare, refutavit omnia Angelus, provocans ad ſua Scripta, dicens inter alia, *Non inventurum ipſum in Sacra Scriptura Caritatem juſtificare; ſed neque apud probatos Auctores, niſi Fide præcedente: Se loqui antiquorum Doctorum more; Auguſtinum, Ambroſium, Cyrillum, Hilarium, alios expreſſe dicere, Sola Fide nos juſtificari. Hanc Propoſitionem*, aiebat, *ſervatis vos in Scholis veſtris & in me condemnatis: Eſtne hoc Iuſtitia & Aequitas?* & quum vellent Eccleſiæ Senſum & Vſum obtendere, reſpondit *Eccleſiæ Vſum non debere eſſe, niſi ſecundum Scripturam: Legerent hac de re Hilarium de Trinitate: habere Sacram Scripturam ſua Verba ſuoſque loquendi modos, a quibus nemini eſſet recedendum.*

cIↄ Iↄ LV.

cũ ſummo ipſius pudore;

ad Certamẽ revocatur;

cIↃIↃLV. *dum.* Objicienti Tiletano Facinus (ſic enim appellabat) de mutatione Collectæ, reſpondit, *Illud ſe facere ſummo jure debuiſſe: hoc cum alijs voluiſſe Libellum Cæſaris Ordinumque Germaniæ; hoc item inter alia comprehendere Mandatum cum Archiepiſcopi Colonienſis, tum Epiſcopi Vltraiectini: utrimque præcipi Nævorum emendationem; Nævis plenas eſſe, ſi quæ alia, Collectas.* Quum accuſaretur Populum ſuis Concionibus ſeduxiſſe, & ab Eccleſiæ Romanæ Dogmatibus alienaſſe; dixit, *pure ſe Sacræque Scripturæ convenienter ſuo Gregi Euangelium adnunciaſſe: Rectorem Vniverſitatis Lovanienſis, Doctorem Theologiæ, plus Scandali in Populo & Eccleſia Dei feciſſe, Populumque magis commoviſſe una ſua Concione Feſto omnium Animarum, quam ipſe ſuis omnibus; quum in maximo cœtu diſertis verbis adſereret ex centum millibus hominum, etiam Chriſtianorum, vix unum aut non unum ſalvandum.* Quo audito Cancellarius ſimul & Officialis pudore obruti tacuerunt. Verum Doctor Raveſteinius ſubintulit, *Omnia non eſſe vera, quæ referuntur.* Ad quod Angelus, *A probatis, quique ex proprio ipſius ore audierant, habuiſſe ſe,* adfirmavit; addens, *Magiſtros Noſtros non ignorare, Populum etiam periculoſe murmurantem de tam acerbo proloquio fuiſſe conqueſtum.* Poſt alia non-nulla ſurgens cum alijs Officialis noluit per Notarium quidquam in acta referri. Parantibus non ſine minis diſceſſum læto vultu animoque intrepido dixit, *Facite quod vultis: non timeo vos, neque veſtras minas: pro me Veritas eſt Euangelica, pro ea libentius adibo Ignem & Aquam, quam cœnam meam in Pane & Ceveviſia, licet totam diem* (erat autem hora poſt meridiem IV) *nihil guſtarim: &, ſi vultis, nolite tardare quanto ocyus, tanto melius: In omnibus Vi & Violentia ſum obrutus* (ipſiſſima ſunt ejus verba) *ſit etiam finis Vis & Violentia. Interim mementote Domini mei illud Sapientiæ* v, Stabunt Iuſti

Tela de Populo ſeducto objecta in Adverſarios retorquet,

Nihil ſe timere, conſtanter adſerit.

Iuſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum, *quemadmodum vos mihi facitis & feciſtis. Dominus Ieſus Chriſtus Filius Dei, cuius Cauſſa agitur, & pro cuius Veritate hæc patior, ſit mihi adiutor in his Tribulationibus, quæ me invenerunt nimis.* Addebat: *ut a vobis eximar his vinculis, non peto: ſi tamen ita Deo videtur, liberatus apud meos pauperes Pupillos & Orphanos* (his enim hoſpitium pararat, ut dixi, in urbe Brielenſi, quod hodie pia Magiſtratus cura immenſum quantum eſt auctum) *manerem, etiam domo non egreſſurus, licet omnino mei eſſem iuris & poteſtatis: quæ patior, in Domino patior; Dominus me dirigat, uti hactenus benigne fecit.* Sic tandem diſceſſerunt; petenti Librum Paſſionis Chriſti impreſſum adnuentes; quod tamen Fiſcalis licet juſſus non præſtitit. Is etiam, dum quæ dixi inter Captivum & Inquiſitores agebantur, Cubiculum ingreſſus, omnia ejus Scripta Libroſque examinarat, quæ Cauſam gravare videbantur ſecum furtim auferens; reliqua fœde diſſipata, inque terram projecta pedibus conculcavit: inter quæ Scriptum erat, ab ipſo non animadverſum, quo probabatur Papa eſſe Antichriſtus. Quum autem ex Fiſcali Notarioque Rector Academiæ percepiſſet Captivi Iudicium de ſua Concione, *Non Angelum eſſe Reum incarceratum,* dixit, *ſed Diabolum.* Ira commotus, vix quintiduo interiecto, Promotorem miſit [a] cum Pedello, qui non ſolum Coenobij Præfecto præciperet, ne Captivo Papirum adminiſtraret ad ſcribendum; ſed etiam juvenem quendam, qui, ut alij multi, Angelum accedere percipiendæ ſaniori Doctrinæ conſuerat, captum vinculis oneraret. Sed is Inquiſitorum acerbitati ſe ſubduxerat. Studioſi mox Proſcripto moniti ſub gravi pœna, ne quid familiaritatis vel commercij quocunque modo cum Captivo inſtituerent: a quibuſdam etiam, qui

cIↃ IↃ LVI.

Fiſcalis inhumanitas & malitia.

Acerbum Rectoris Academiæ de Angelo Iudicium.

a *Ianua.* XIV.

Papiri uſus Captivo ſubtrahitur.

Proſcriptũ Academicũ adverſus Angelum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIɔ Iɔ LVI. Theologiæ dabant operam, Iusjurandum fuit exactum: non magna habebatur ratio eorum, qui extra ſuſpicionem erant. Admiſſus[a] Carthuſienſium Pater multa cum Captivo verba habuit de Eleemoſynis faciundis. Ortum & non-nihil controverſiæ de illo Schelomonis Eccleſiaſtici IX, *Neſcit homo, utrum Amore, an Odio dignus ſit*: quem locum adſeruit Angelus falſo tranſlatū. Dixit & inter alia: *ſi quis aggerendis magis magiſque Meritis hanc vel illam ingrediatur Religionem peccat, & eſt tanquam non Chriſtianus.* Dolenti, quod Captivus in tam multis contrarius eſſet Doctoribus Lovanienſibus: *Non mirum*, ait libere, *hoc eſſe, quum illi in tam multis Sacræ Scripturæ eſſent contrarij*. Officialis autem, perpendens attentius malos Ruardi dolos, Captivo non admodum male volebat, eique per famulum omnem offerebat[b] benivolentiam, quo nomine gratias ipſi egit Captivus, *orabo*, inquiens, *pro eo; ipſe oret pro me*. Non deſiſtebat interim Reus ſuæ tuendæ Innocentiæ omnem movere lapidem. Duodecimo[c] Kalendas Martij literas ſcribit ad Ruardum, quibus ipſum cum ad alia, tum ad pœnitentiam patrati in Proximum ſuum criminis admonebat; adductis in medium multis ex Sacra Scriptura Iureque Canonico teſtimonijs. Finem imponens, *Ego*, aiebat, *Deo omnia commiſi, qui me & mea potens eſt conſervare; ad quem appellavi, & coram quo meam intendo agere Cauſſam. Illi cuncta ſubieci, eiuſque protectioni & defenſioni, pro ut etiam in Scriptis quibuſdam meis legere poteris: item quidquid contra Iuſtitiam & Aequitatem, contra Caritatem & Fraternam Chriſtianamque Dilectiorem mihi aut meis bonis rebuſque factum eſt, ipſi Deo & Chriſto Ieſu futuro Iudici cōmiſi, & committo. Si me liberes libertatemque præſtes repedandi ad mea; facies, uti coram Deo facere teneris, & de Iure Scripto debes; & exſtinguetur, qui a vobis & veſtris excitatus eſt*

a *Ianuar.* XX.

Diſputat Angelus cū Carthuſienſium Præfecto.

Pronior Officialis in Captivum animus.

b *Februar.* II.

c *Febr.* XVIII.

Litteræ Angeli ad Ruardum.

eſt Ignis; ſin minus, ſecus fiet, neque minuentur Scandala, etiam me quacunque morte vel defuncto vel occiſo. Vtilius nempe Scandalum Mundi permittitur; quam Veritas pereat, & Iuſtitia Dei occultetur. Noli timere parvam Mundi confuſionem, quæ tamen (ſi in Veritate attendatur) non eſt confuſio, ſed potius ſecundum Deum melioratio. Noli, mi Confrater, pro modica huius Mundi gloriola tuam precioſam perdere Animam: omnia ego tibi, quæ in me peccaſti, pro Perſona mea remitto; Soli Deo ſatisfaciendum eſſe cenſeo; & illi cuncta commiſi, in æternum non vindicaturus &c. Ad has Litteras quum per famulum [a] poſtridie peteret reſponſum Angelus, dixit Ruardus, ſe eas Officiali tradidiſſe, & cum eo ſe conſulturum. Inijciebatur ſub finem [b] Februarij Captivo ab Adverſarijs terror; quaſi illud ageretur, ut ſacco incluſus intempeſta nocte aquis eſſet ſuffocandus: quæ res ut certius futura videretur, Monachus miſſus [c] eſt, qui Reo eſſet ab Confeſſionibus. Sed invictæ Conſtantiæ, *ad omnia Suppliciorum genera pro Veritate ſubeunda paratum eſſe ſe*, profeſſus eſt; addens, *ſe iam diu ſuis Adverſarijs ſtare in procinctu.* Verberabat ſubinde ſua conſcientiam Ruardi atrocitas. Licet inplacabilis plurimum, nulla ne quidem magnorum Virorum interceſſione precibuſque mitigaretur ita tamen, ſub hos [d] dies fuit adfectus, ut Paſtorem S. Iacobi Lovanienſis mitteret, qui pacem & concordiam inter ſe Captivumque faceret, ſalvo & intemerato utriuſque honore. Sed fruſtra id fuit; Deo ſuum Angelum ad majora figendum pro Veritate Trophæa vocante. Ruardus ſcilicet obſecrari volebat, omnem avorſatus Technarum Hagienſium in concipienda pronunciandaque Sententia commemorationem: quæ tamen ad controverſias bene terminandas neceſſario erat faciunda. Conatus aliquoties Captivum ſubvertere, tandem [e] Exſcriptum obtulit Articulorum,

cIↃ IↃ LVI.

a *Febr.* XIX.

b *Febr.* XXV. Subfocatione in Aquis minantur Captivo Adverſarij.

c *Febr.* XXVI.

d *Feb.* XXVIII. & *Apr.* III. Placare conatur Angel[um] Ruardus.

e *Aprilis* XI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

CIↃ IↃ LVI.

Angelus ad Confeſſionẽ Articulorũ rurſus invitatus, renuit.

quos, ut ab Reo revocandos & probandos, in Sententia fuiſſe ſcriptos, raptaque voce coram Populo lectos, ſupra monui: ad ſingulos quum urgeretur a Paſtore Reſponſum, dixit paucis Angelus, *falſos eſſe plures Articulos; imo totam Sententiam eſſe falſam, ſi unus tantum Articulus ſit falſus.* Renuit igitur quod flagitabatur; addens, *Inquiſitores laqueos tantum per hanc viam & rete capto iam expandere, ut calumniarentur.* Multa inde conqueſtus de ſpoliatis raptiſque Libris & Scriptis, *Quomodo,* aiebat, *reſponderem ad illos Articulos, niſi haberem mea ſuper illis Scripta, quæ mihi abripuerunt: non enim ſum Deus, aut Angelus, quamvis vocer Angelus. Quum ſæpe coactus fuerim reſpondere; nunc paucis, nunc pluribus id feci. Non omnium mihi eſt memoria. Habitis Libris, poſſem ex illis quendam elicere modum: quamvis non tenear reſpondere, niſi tantum de illis, quæ me docuerunt aut prædicaſſe, aut defendiſſe, quorũ in exhibitis hic Articulis ſunt fere nulli. Quod reſtat, lubens me cuicunque meliora adducenti & ſaniora ſubmittam.*

Scriptum de Falſitate Hagienſis Sententiæ.

Dedit porro Paſtori Scriptum, quo probabatur Sententia Inquiſitorũ eſſe nulla, iniqua, injuſta, falſa, Tyrannica; Ruardo offerendum: Iudicans obiter, qui inter oblatos Articulos falſi, qui mutati, qui mutili.

Adfectus variorum erga Angelum.

Creſcebat interim indies apud multos Conſtantiæ & Magnaminitatis, quam in Captivo videbant, admiratio. Cauſæ ipſius, magis magiſque palam audebant favere multi, & præcipue Academici, qui Ruardi genium & mores ex quotidiana converſatione multaque experientia penitiſſime norant: non Injuriam tantum, ſed Violentiam quoque ſeni Captivo fieri clamabant; multa de ipſo bona apud varios prædicantes. Inter alios Doctor quidam erat & Profeſſor Theologiæ honeſtus Vir & probus, qui de Angeli negotio ſuum etiam Iudicium apud nonnullos interpoſuerat. Eum in munere Collegam advocatum ad ſe Ruardus,

dus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↄIↄ LVI.

dus, pro qua munierat eum Bulla Pontificis auctoritate, acerbe his verbis increpuit: *Quandoquidem apud honeſtiſſimos & probos converſaris huius loci Viros ac Homines, & de Angelo inter Homines multa ſparſiſti bona, dixiſtique laudabilia; peccaſti. Iam autem tibi præcipimus, niſi velis Hæreſeos eſſe ſuſpectus, ut tot mala de eo ſpargas & dicas in Populum & alios, cum quibus converſaris, quot & quanta umquam de eo bona dixiſti*; &c. Mittit iterum ſub finem Aprilis[a] literas ſatis prolixas ad Ruardum Angelus, ejuſdem fere, cujus ſuperiores, continentiæ. In ijs præter alia hæc lego: *Scripſerat tibi Dominus Snouckaert, Hagienſis Conſiliarius, uti me tractares, quemadmodum decet honorare Senem, & minime moleſtare: Nempe adſedi eidem, & literas legi, quum eas tibi pro me ſcriberet; & promiſiſti per Subſtitutum Procuratoris Generalis te facturum, prout ipſe pro me petierat: ſed illarum immemor, & nihil curans, me peius tractas, duriuſque onus mihi imponis, quam fur, quam latro mereretur: niſi mea ipſius pecunia commoditatem mihi attuliſſet, hic fame, & ſiti, atque ſqualore perijſſem; & adhuc ſatis laboro: ſi per meam Correptionem, qua te corripui ex Chriſti Præcepto & Apoſtolorum Doctrina, me odio habes, minime in Chriſtum Ieſum & eius Verbum ac Doctrinam cadit odium: ſi autem, quia non conſentio tibi in omnibus, me gravas, non me, ſed ipſam Veritatem gravas, & falſitatem promoves.* Quum ipſis Maij[b] Kalendis congregatus fuiſſet Senatus Academicus Lovanienſis ob Libros prohibitos: mox Inquiſitio cœpit inſtitui in variorum Bibliothecas. Nihil reliquum erat penes Angelum. Omnia enim cum Scripta, tum Impreſſa ſine ullo diſcrimine erant rapta. Sed venit in ſuſpicionem quidam Cornelius, Angeli ex Sorore Nepos; qui Studiorum cauſſa hærebat Lovanij. Hujus cubiculum vi ingreſſus[c] Promotor non modo quidquid erat Scriniorum perſcrutatur, Libroſ-

a *Apr.* XXIX. Angeli ad Ruardum Litteræ.

b *Mai* I. Decretum Senatus Academici de Libris prohibitis.

c *Mai* XVI.

ↀIↄ LVI. Angelus iterum ſpoliatur ſuis Scriptis, quæ erant apud Nepotem,

broſque inventos aufert, & inter illos etiam Commentarium, in quo Angeli ad varios erant Litteræ; verum etiam carcerem illi minatur. Angelus nepotem hortatus, ut ad tempus furentibus Magiſtris ſe ſubduceret, & tenebrarum uſus benificio ad ipſum itaret, ſe adverſus tam crebros Calamitatum incurſus paucis eſt ſolatus: *Domine Deus adiuva me, defende me, quia in te ſpero & confido.*

qui captus,

Quum percepiſſet captum eſſe, ſupra modum contriſtatus eſt talia ipſi eveniſſe Avunculi cauſſa. Habebat enim penes ſe multa ipſius Secreta, quæ nondum Inquiſitoribus innotuerant. Nihil videns opis humanæ, *Deus*, exclamavit, *miſereatur noſtri: Ipſe enim Solus eſt fortitudo mea, robur meum, & refugium meum: etiamſi occiderint me, in ipſo ſperabo.*

a *Mai* XVIII.

Scriptis [a] ſtatim Litteris Nepotem non ſolum, quo modo ſe haberet, inſtruit; verum etiam ad Veritatem, quam ex ipſo didicerat, eundem animat & hortatur.

b *Mai* XXIV.

Acceptis his advolant [b] eveſtigio ex Hollandia Gulielmus Merula, & Bartoldus Altenaenſis, cujus & ſupra inter Angeli Fidejuſſores facta eſt mentio: per quos ita eſt laboratum, ut negocium illud ad finem non infauſtum fuerit perductum.

Conſanguineorum induſtria liberatur.

Quærebatur enim undique, non quo nepos Captivi, ſed quo Captivus ipſe magis magis gravaretur. Sperabatur enim Iuvenis aliquid effutiturus, quod Avunculi Cauſam faceret deteriorem.

c *Mai* XXXI. Angelus prohibetur omni Litterarum commercio:

Ingreſſus [c] paullo poſt Coenobium Fiſcalis, iterum Patri Fratribuſque mandavit, ne paterentur Litterarum quid vel ad Reum inferri, vel Rei nomine ecferri; niſi prius viſitatum lectumque; quod etiam ſtrenue religioſeque ſervatum.

ab Ruardo

Ruardus videns Angelum in ſuo Propoſito perſeverare, neque quidquã admittere velle contra Sacram Scripturam, ratus fractum iri, ſi in remotiora Loca ad duriorem Carcerem aveheretur; confecto Libello petijt ab Rege Philippo, ut Reum liceret amovere Lovanio, & in longiſſi-

longiſſimas Patriæ Terras incarceratum & incluſum rele- cIↄ Iↄ LVI.
gare: quo non difficulter impetrato, Captivum omni De- omnibus
fenſionis modo deſtitutum, omnibus Iuris & Naturalis & privatus
Scripti ſcitis decretiſque inhumaniſſime privatum, omni-
bus denique Libris Scriptiſque, quæ rurſus labore magno
collegerat, ſpoliatum in Abbatiam Laetiēſem, quæ in Cō- in Abbatiam
mitatu Hannoniæ, abducendum [a] curavit. Ibi poſitus ali- Laetienſem transfertur.
quanto habuit commodius præter exſpectationem Ruar- a *Iunij* XXX.
dique mentem, quam Lovanij apud Cellitas; non modo
Monachum nactus, qui ipſi inſerviret, verum etiam libe-
riorem aerem liberamque per hortum ampliſſimum intra
Monaſterij ſepta deambulationem. Accedebat & condo-
lens ipſius Senio & Calamitatibus cum Abbatis Ludovici
Bloſij, tum reliquorum Monachorum Animus. Hic au-
tem ex controverſis Capitibus nihil crebrius [b] ipſius infu- b *Iulij*.
ſum eſt auribus, quam *Eccleſiæ Catholicæ eſſe obediundum:* Diſſertationes de Religione inter
non abnuens Angelus, addidit, *Secundum Verbum Dei: nam* Angelum &
eo Solo Eccleſiam Catholicam regi debere in Spiritu Sancto. Abbatem Laetienſem.
Quum quaſdam Abbas adponeret Conditiones, dixit, Cap-
tivus, Se Inquiſitoribus ſcripſiſſe, ſed ipſos ſuas Propoſi-
tiones dolo malo, magnoque Rei Præjudicio damnoque,
mutaſſe. Præſcripſerat autem, ut ante monui, Captivo Ru-
ardus Propoſitionem, quam ipſe confiteretur, hanc: *Para-
tus ſum ſequi quidquid in Concilijs legitime in Spiritu Sancto
congregatis diffinitum eſt, vel diffinietur ſecundum Scriptu-
ras; quanquam non intelligam, quomodo aut qualiter ex Scrip-
turis eliciatur Diffinitio: & ſimiliter paratus ſum ſequi Iudi-
cium & Sententiam Paſtoris & Superioris in Queſtionibus con-
troverſis, modo Iudicium & Sententia eius non adverſentur
Scripturis.* Hanc quum tunc etiam non omnino improba-
ret Angelus, *Bene*, ait Abbas, *in genere dicis hoc, ſed ad Ar-
ticulos & per Articulos contrarium uſum videris approbare*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↄIↄLVI. *& Eccleſiæ contradicere.* Ad quod ipſe, *Se non poſſe*, retulit, *ſed neque debere omnem Eccleſiæ Abuſum probare, aut Morbos & Scandala tolerare; ſed, quæ ſibi reſarcienda aut emendanda viſa ſint, adnotaſſe; flagitantibus Epiſcopis, cum Colonienſi, tum Traiectenſi; nec non Cæſarea Maieſtate Imperijque Ordinibus: De Scandalis tam certo conſtare, ut ipſe Cæſar in ſuo Reformationis Libello fateatur, ea propter Deum ſuam caſtigare Eccleſiam.* Quum hic ex adſtantibus non-nulli objicerent, *ipſum ſcripſiſſe de Cultu Demortuorum & Imaginum tollendo, deque Solo Deo invocando & Chriſto eius*; *Se,* coram Abbate cæteriſque reſpondit, *potius velle comburi, quam admittere præter Solum Deum & Chriſtum eius, adorandam quamcumque Creaturam: Chriſtum ipſum docuiſſe in Euangelio, Soli Deo ſerviendum eſſe, quum inquit, Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi Soli ſervies.* Quum etiam adderet inter alia Abbas, Principem & Regem Angliæ voluiſſe, ut Reus ſupplicio adficeretur, ſed quorundam interceſſione exoratum fuiſſe & placatum: Se etiam efficere apud Principem poſſe, ut liber dimitteretur, ſi modo Catholicæ Eccleſiæ ſe ſubmitteret Diffinitioni: reſpondit, *Se ab ijs, quæ dixit, non declinaturum, & exſpectaturum ſumma patientia quidquid Deo Opt. Max. placiturum.* Quum Præfectus quoque Monachorum (quem *Priorem* vocant, cuique ſecundus ab Abbate locus adſignari ſolet) Reum diceret negaſſe, *Mariam eſſe Vitam noſtram, idque in ipſius haberi Articulis*: reſpondit Angelus, *Inquiſitores ſcripſiſſe in Propoſitionibus ſuis, ipſam Mariam eſſe Vitam, aut dici; quia Vitam nobis genuit,* &c: *Se vero adſeveraſſe, Solum Chriſtum eſſe Vitam (vivificantem ſcilicet) quum ipſe dicat, Ego ſum Via, Veritas, Vita.* Venerunt interim Bruxellis Literæ, quibus a Principe jubebatur Abbas, ut Reo omnem adimeret Calami Atramentique uſum: quod quum Præfectus, quem dixi,

Angelo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↃ IↃ LVI.

Angelo, Philippi Regis juſſu mandatuque Calami & Atramenti uſus adimitur.

Angelo ſignificaret, declarans etiam Abbatem ipſi condolere, optareque cum meliorem in Sacris Senſum, tum Libertatem : *ſat*, retulit, *ſuorum Scriptorum exſtare ; vix quid ſtabiliendæ ſuæ Innocentiæ Calami ope poſſe adijci ; Deo quidquid impenderet ab hominibus, ſe committere ; Libertatem, quæ auro prævalere dicitur, futuram ſibi gratam, ſi modo ſalutaris & ab Deo decreta ; non aliam Se petere : Servitutem enim ſibi impoſitam & Carcerem, quo iam triennium & menſes aliquot ſorduit, tantas habuiſſe habereque vires, ut perpetuum progreſſus fuerit, & indies magis magiſque progrediatur in Vera Dei Cognitione : ſe Mortem libenter exſpectaturum : nam in Mortem ſe potius ire velle, anteaquam conſentiret, alium, quam Solum Deum adorandum & invocandum.* Occinenti hic cum indignatione non-nulla Voces *Douliam*, & *Latriam* ; reſpondit Angelus, *cum Scriptura & ſecundum uſum Scripturæ loquendum eſſe, quæ dicit, Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi Soli ſervies : Verbis Domini nihil a nobis eſſe addendum, vel detrahendum : Voces Douliam & Latriam ab hominibus eſſe inventas, Carnalis eſſe excogitationis, nihil facere ad Salutem : Se nolle amplius diſputare, quum fruſtra videret omnia, & Surdis cani ; Verum eſſe Sapientis* [a] *illud, Vbi non eſt auditus, non effundas ſermonem ; &,* [b] *Beatus, qui enarrat Iuſtitiam auri audienti.* Diebus aliquot [c] elapſis, iterum multis verbis contulerunt Abbas Angeluſque cum de alijs, tum præcipue de Invocatione Sanctorum : Angelus inter alia adfirmabat, *Se non poſſe capere, verum illud eſſe & ex Deo, ut Cultus præſtetur Imaginibus ; quum Deus dixerit e Cœlis inter præcepta ;* [d] *Non ſervies eis, neque coles :* Abbas vero, *Baſilium Magnum quodam loco dicere, ſe non ſolum Imagines venerari, ſed etiam adorara :* Angelus iterum, *Euangelium docere contrarium, ubi inquit,* [e] *Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi Soli ſervies : nos non debere ex hominibus*

a *Eccleſiaſt.* XXXII.
b *Eccleſ.* XXV.
c *Auguſto menſe.*

Aliæ inter Angelum & Abbatem Diſputationes

d *Exod.* XX. *Deut.* V.
e *Math.* IIII.

cIↄ Iↄ LVI. *bus pendere, aut hominum ſenſu, ſed Spiritus Sancti, qui & in me*, aiebat, *eſſe poteſt, ut in alijs; præcipue ubi Scriptura patens eſt, & ſenſus quoque minime obſcurus*: Abbas rurſum, *Verbum Dei habere auctoritatem per Eccleſiam, ideoque eius Expoſitionem ſoli competerc Eccleſiæ, & non Nobis*: Angelus hic; *Eccleſiam eſſe Homines, qui niſi ex Spiritu Sancto iudicent, non eſſe veram Expoſitionem*: Abbas denique rogans, *quomodo ſciret eſſe Dei Verbum & Euangelium*; quum Angelus reſponderet, *ex Spiritu Dei, in nobis conteſtante Veritatem; ſic & Paulum*[a] *dicere, Caritatem Dei diffuſam eſſe in Cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis* &c. *a Epiſt. ad Roman. cap. III.* tandem in hæc erupit verba; *Iam D. Angele, te omnino indico perverſi ſpiritus, & perverſum atque Hæreticum ab Eccleſiæ corpore abſcindendum.* Acerbum Abbatis Iudicium de Angelo. Quibus dictis, turbato animo diſceſſit; præcipiens Monacho, qui Captivo inſerviebat, ne ipſum permitteret amplius exire; ſed probe incluſum teneret & ſervaret. Ad quod eius mandatum Angelus poſt paucula, *Dominus Ieſus Chriſtus*, dixit, *Tui Meique miſereatur.* *b Auguſt. XV.* Iterum poſt paucos dies[b] Monachi Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem extollere cœperunt apud Angelum: Qui paucis reſpondens, *Eccleſiæ Catholicæ*, dixit, *obedire Chriſtianum omnem debere: ſed Lovanienſes Doctores non eſſe Eccleſiam Catholicam: eam eſſe Congregationem vel Vnionem Chriſtianorum, Spiritu Dei donatorum, & per totam Chriſtianitatem diſperſorum*: Diſputatio de Eccleſia Catholica. Offerentibus Librum cujuſdam Germani Reubrochi, in quo referebatur de Conſenſu & Submiſſione Catholicæ Eccleſiæ; dixit, *Se hoc facere ſemper & feciſſe: ſed quoniam Conſcientia non valet, niſi coacta, conſentire Propoſitionibus Lovanienſibus; idcirco etiam ſe & ſuam Fidem ſimul & Conſcientiam ſubijcere & conijcere in ſenſum & intelligentiam Catholicæ Eccleſiæ & Orthodoxæ Fidei; quippe non ignorans Verbum Dei in plures poſſe trahi ſenſus, uti etiam*

iam dicit D. Hilarius de Trinitate: eam ob cauſſam etiam ſe ſuumque ſenſum Iudicio Sanctæ, Catholicæ, & Orthodoxæ Eccleſiæ ſubijeciſſe ſe, & ſubijcere: Conſcientiam ſuam non aliter dictare; qui contra Conſcientiam facit, ædificare ad Gehennam: Fidem cogi non poſſe, neque debere; Veram Fidem Libertatem amare, alioqui Simulationem eſſe. Hæc & plura, quæ brevitati ſtudens omitto, quum Abbas vel alijs intentus non bene percepiſſet, vel ex infida relatione liberalius plura, quam revera erant, dicta ab Angelo præſumſiſſet, ſtatim arrepto calamo, *dolere Se*, ſcripſit, [a] *admodum vicem ipſius; Deum hoc noviſſe: Lætari vero, quod adſereret ſe paratum eſſe profiteri ea, quæ profitetur Mater Eccleſia, id eſt Romana & Catholica; obſecrare porro, ut tandem deſinens claudicare, utroque pede incipiat recte progredi, & humiliter Senſum atque Iudicium ſuum accommodet Senſui & Iudicio Eccleſiæ Romanæ, id eſt Catholicæ: oſtenderet deinceps abſque ſimulatione aliqua, ſe velle illi per omnia obedire: non enim poſſe ipſum diſcordare ab Eccleſia Sancta, quæ corpus Chriſti, quin ſimul diſcordet ab Capite: Eccleſiam enim & Chriſtum unum eſſe, unaque voce loqui: ſi Corpus, quod Eccleſia, contemnatur; contemni & Caput, qui Chriſtus: qui Corpus perſequitur; perſequi & Caput.* Addidit & Abbas Scriptum, quo varijs modis ex Hieronymo, Auguſtino, alijs adſerere conabatur *Sanctorum, qui demortui, Invocationem.* Quibus omnibus lectis & intellectis, Angelus, *Nunquam ſibi in mentem veniſſe*, dixit, (Nam ſcribere, Calami Atramentique uſu privatus, non poterat) *tale de Romana Eccleſia Iudicium; quum Contrariũ verius eſſe deprehenderet; non eſſe Matrem Romanam Eccleſiam, ſed fornicariam potius & adulteram; non eſſe item Catholicam, ſed privatam tantum: Se ab Eccleſia Sancta non diſcordare, ſed convenire in omnibus*, &c. Quod ad comitans Scriptum, *Crambes*, reſpondit, *toties recoctas inſipidas eſſe*, &

cIↄ Iↄ LVI.

Literæ Abbatis ad Angelum. a *Aug.* XVII.

Reſpondẽs Angelus, nõ Scriptis, ſed voce libera.

cIↄ Iↄ LVI. *& palatis moleſtiſſimas: iam centies de Invocatione Sanctorũ ab ſe contra Sonnium, Ruardum, alios ſolide actum fuiſſe: Omnibus, qui in medium adferri poſſent, Doctoribus unius Divi*
a *Epiſt.*1.*ad Corinthios, cap.*II. *Pauli*[a] *dictum eſſe opponendum, admonetis, ut Fides noſtra non ſit, hoc eſt, non innitatur, in Sapientia Hominum, id eſt, in Auctoritatibus, Dictis & Adinventionibus humanis, ſive Hominum, ſed in Veritate Dei, hoc eſt Spiritu Dei & Verbo Dei.*
durius artiuſque coepit haberi. Hac loquendi libertate offenſus Abbas, Captivum juſſit durius artiuſque haberi. Pleriſque Monachis, penitius omnia perpendentibus, nihil in votis optatiſque erat magis, quam Captivum convenire, cumque eo de controverſis Fidei Articulis communicare. Sed, quantum in ipſo erat, prohibebat omnes Aditus Abbas: quod tamen tanta dexteritate præſtare non potuit, ut non ſaniora de Fide Dogmata multorum animis inſtillarentur: qui mox Errores, quos cum alijs contra Verbum Dei foverant, exſecrati, ergaſtulo ſe liberarunt. Graſſari cœpit paullo poſt in Ab-
b *Aug.* XIX. Profectus ob Peſtem alio Abbas, batia Pagoque conjacente Peſtis; cui declinandæ[b] profectus alio Abbas, abſuit ad Profeſtum Michaelis. Non ceſſabat interim Angelum inquietare Monachus; qui Captivo adpoſitus videbatur, non tam ut ipſi inſerviret, & laboranti opitularetur, quam ut magis magiſque ſuis Propoſitionibus, Argumentis, & Objectionibus, quæ cum Lovanio ab Inquiſitoribus ſine intermiſſione ſubmittebantur, tum ab Abbate, Viro non inerudito, in ſcriptis ipſi de Eccleſiæ cum primis auctoritate erant relictæ, adfligeret:
c *Sept.* XIII. quo tamen connivente litteras[c] mittit ad Gulielmum Merulam, Fratris Filium, qui res ipſius in Hollandia curabat; paucis admodum (nam multa prohibebatur) indicans, quo in ſtatu totum eſſet negocium: univerſim, *illud coram Angliæ Rege pendere; Adverſarios omnia dira minari: ſed ſe velle potius decies mori, quam admittere Lovanienſium Propoſiti-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

poſitiones, ut veras & Euangelicas: Sua igitur probe curaret, ſibique provideret, ſi forte quid ſiniſtri accideret. Reverſus [a] Abbas, poſtquam inclementiorem ſe in Captivum exhibens cum ipſo amplius nollet Diſputare, ſibique ipſi Moleſtias, ut appellabat, adſumere ejus nomine, aut inferre, Iugum ſuper Senem, tamquam Hæreticum, adgravavit, vincula artans, Victumque & Potum minuens; Principem addens ſic velle, ſicque Sententia ſua mandaſſe. Ad quæ Captivus, *Se non moveri*, dixit; *Paratum eſſe Se ad quidvis pro Veritate ſubeundum: Facerent Homines, quidquid vellent; Cauſſam ſuam penſitatius aliquando ad iuſtiſſimum Dei Tribunal ventilandam eſſe: Dominus Ieſus Chriſtus*, inquiebat, *& noſtri & ipſorum miſereatur, & ad ſalutarem Veritatis Viam dirigat, directoſque confirmet & ſtabiliat.* Significavit poſt [b] hæc Abbas Captivo, ſi ſcriptis litteris deprecari animus ipſi eſſet ab Rege totam pro Carcere Abbatiam, Se lubenter curaturum, ut ejuſmodi litteræ per certum Tabellarium ad Principem perferantur: Sin ad alios etiam Conſiliarios Amicoſve vellet ſcribere, ſe hoc non permiſſurum, niſi ad Ruardum Cancellarium Lovanienſem. Captivus, gratijs Abbati pro oblato Officio actis, reſpondit, *ſe ad Cancellarium nolle ſcribere, quum præſciret ipſum non conſenſurum: Sed quum coram Principe Cauſſa mea*, inquit, *ut vos dicitis, pendet; Conſultius videtur & melius ad Principem ſcribere.* At vero deprehenſum paucis poſt diebus fuit, Abbatem hoc voluntatis ſuæ declarandæ aſtu uſum fuiſſe, ut Reum facilius ad conſentiendum cum Eccleſiæ Romanæ, tum Inquiſitorum & Lovanienſium Propoſitionibus induceret. Sollicitatus enim, ut ſe ſubmitteret Articulis, quos Romana adprobat & admittit Eccleſia; admirans reſpondit; *Se non velle pendere ex Hominum ſenſu, aut cogi etiam debere ad conſentiendum Articulis, vel Romanæ Eccle-*

cIↃ IↃ LVI.

a Sept. XXVIII.

Reverſus Iugum Captivo adgravat.

b Oct. XVIII.

Diſputatur rurſus de Eccleſia Catholica.

CIↃ IↃ LXVI. *næ Eccleſiæ, quum ipſa particularis eſſet, haud ſecus quam A-lexandrina vel Antiochena: Eccleſiæ*, addens, *Catholicæ ad-hæreo, per totum Mundum diffuſæ, uti & dicit Auguſtinus: Multos nempe Eccleſia Romana habet Morbos, Defectus & Scandala, quibus medendum eſt, quæque prius amoveri debent: in quos & quæ nullo modo conſentio; neque etiam quiſquam Fidelis conſentire debet.* Procedebat nihilominus Littera-rum, quas dixi, negocium, ne quid ſequius videretur co-natus Abbas; qui etiam Captivo permiſit, ut miſſis, ſi vel-let, litteris ab Viglio vel Principis Concilio copiam pete-ret ſubinde ſcribendi ad Amicos & Conſanguineos, qui-bus rerum ipſius adminiſtratio in Hollandia Zelandiaque incumbebat: cui Angelus reſpondit. *Conſultius eſſe in fine Litterarum, quæ ad Principem mittendæ, hoc adſcribere*: quæ omnia diligenter facta. Quum adderetur, *Viglium alioſque fortean interrogaturos, an Reus conſentiret Eccleſiæ Romanæ, & Propoſitionibus Lovanienſium: Habet Dominus Abbas*, inquit, *meam Fidei Profeſſionem, aliaque Scripta: Sufficiunt illa; nihilque amplius eſt opus: Nemini ſum moleſtus, contra neminem diſputo, aut Litem vel Verba moveo: Interrogatus benigne reſpondeo. Quod Magiſtri Lovanienſes dicant, me ſubſcribendo ipſorum Articulos in Hagienſi Palatio adprobaſſe; noverunt illi, quibus quantiſque dolis me circumvenerint: Hoc in faciem ipſis ſæpe dixi, & obieci: Quod ſi quæratur e-mendatio, non habeo, nec poſſum aliud, quam quod feci & ſcripſi: Si Abbas putet ſe nihil apud Principem impetraturum, relinquat intentatum quidquid ſit, & faciat mihi quod ſecun-dum Deum & in Deo facere tenetur; quemadmodum & in principio ſua fecit auctoritate: Ego nempe mallem mori, quam Lovanienſium profiteri veras eſſe Propoſitiones.* Alia, quæ et-iam de Sententia, contra ipſum injuſte lata protulit, & a qua iterum ad Iuſtiſſimum Supremi Iudicis Ieſu Chriſti

Litteræ, quibus ab Rege Philippo totam Captivus Abbatiam pro Carcere petebat,

Tribu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Tribunal appellabat, prætereo. Quum putaret Angelus de Libello Supplice, quem Regi Philippo curarat exhibendum, nihil futurum, & fruſtra laboratum, omniaque ſopita, ſeque deinceps manſurum uſque in Vitæ ſuæ finem incarceratum: ecce pridie [a] Kalendas Decembris venit ad ipſum Præfectus, vel, ut vulgata utar voce, Prior, ab Abbate nuncians, non ſolum Libellum, qui Regi exhibitus fuerat, minime admiſſum, aut conceſſum, ut petebatur; verum etiam litteris miſſis artiorem Rei ab Rege mandari Cuſtodiam, niſi Se ſuumque Senſum Eccleſiæ ſubmitteret Romanæ. Ad quod Angelus, *Se*, reſpondit, *hoc & facere & feciſſe ſemper Eccleſiæ Catholicæ: Non enim*, addebat, *Romanæ Eccleſiæ adſtricti ſumus magis, quam Alexandrinæ vel Antiochenæ: licet tamen Romanam Eccleſiam non difficilis agnoſcam meam Matrem, quum inde præcipue Fides noſtra provenerit primo, & dimanarit per pleramque Europam. Eſt nempe, ait Auguſtinus, non huius vel illius Eccleſiæ Congregatio Eccleſia Catholica, ſed omnium Eccleſiarum Vnio & Conſenſus per totum Mundum diſperſarum*, &c. *Attamen Eccleſiæ Romanæ Sanctæ & Orthodoxæ aliquo modo poſſumus conſentire: ſunt nempe in Eccleſia Romana tot Errores & Defectus* &c; *quemadmodum omnibus patet.* Ad quod Abbas, *Non ſunt Errores*, ait, *ſed Defectus & Morbi:* Angelus iterum, *Ipſe Imperator*, inquit, *diſertis verbis adſerit, in Eccleſia Romana eſſe tot Scandala, tot Morbos, tot Defectus; ut cunctis manifeſtum ſit, ab Deo ipſam Eccleſiam Romanam flagellari. Eſto tamen*, addit, *ut non Errores ſint, ſed Morbi & Defectus: quare non corriguntur? quir medicina, quæ debet, ÿs non adhibetur? Inſuper & Ioannes Eccius cum Cardinale Contareno Legato Pontificio, fatetur in ſuo contra Proteſtantes Libro Defectus eſſe in Miſsis; quare ergo non emendantur?* Quibus dictis, arrepta, quam in Biblijs ſuis

ƆIƆ IↃ LVI.

[a] *Novēbr. ult.*

rejiciuntur.

Iterum de Romana Eccleſia concertatur, alijſque Fidei Capitibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

CIↃIↃLVI. poſuerat, Schedula, ipſiſſima Eccij recitavit verba, hæc: *Novit venerabilis Dominus Legatus Cardinalis Contarenus, Eccleſiæ Morbos in Miſſis, in Cœlibatu, in Cultu & Invocatione Sanctorum: quia Populus non recte docetur de Pœnitentia, de Fide ſeu Fiducia in Chriſtum. Videmus Monaſticos Abuſus, & Canones Recentiores plenos Superſtitionum: Theologiam Monachorum dilutam eſſe, & Veteri diſſimilem,* &c. Quumque in fine Eccius concluderet, *In his Abuſibus a multitudine diſſentimus; Haud ſecus ego facio*, ajebat Angelus. Quum autem Abbas diceret, quemdam Sacerdotem Montenſem etiam multos varioſque abſurdos non ita pridem Articulos adnotaſſe, eoſque pro ſua virili privatim publiceque ſuſtinuiſſe; ſed, quum ſe ſuumque Senſum Romanæ ſubjeciſſet Eccleſiæ, fuiſſe dimiſſum; conatus eſt Reum quoque eo inducere, ut idem faceret. Renuenti quum periculum imminere monuiſſet a Principe, abiens mandavit ſervienti Monacho, ut majore cura Reum cuſtodiret. Ad quæ Angelus, *Dominus Ieſus Chriſtus*, dixit, *in cuius milito militia, & in cuius hæreo, permanereque ac perſiſtere Veritate deſidero, in finem uſque & ſemper mei miſereatur: & me ſecundum Mundum miſerum & miſerabilem ab iſtis Magiſtris & Religioſis Sectarijs reputatum & habitum, ac uti Peripſema atque Hæreticum condemnatum, dirigere, protegere ac defendere dignetur: & me, ſimul & ipſos, tum Amicos omnes, tum & Inimicos, in viam Veritatis ſinceræ ac Iuſtitiæ Dei deducat, per Fidem veram, & Orthodoxam & Euangelicam in Gloriam Nominis ſui & Laudem, ſimul & noſtram Salutem, ac Proximorum Aedificationem ſecundum ſuam Voluntatem ſive per Vitam, ſive per Mortem, per Ieſum*
a Dec. XXIII. *Chriſtum, Amen.* Quum circa [a] Feſtum Nativitatis iterum urgeretur Angelus, ut Propoſitiones Lovanienſium profiteretur eſſe veras, ſimulque ad Communionem vel Con-

ſecra-

ſectationem accederet, reſpondit, *Se non pendere ex homi-* cIↄ Iↄ LVI.
num Inſtitutis, Doctrinis aut Mandatis in Fide ſua ſcilicet;
ſed ex Solo Dei Verbo: dicere nempe Hieremiam[a] *Prophetam,* a *Hier. cap.* XVII.
Maledictum eſſe Virum, qui confidit in Homine, quique ponit
Carnem brachium ſuum: non ergo Hominum Statutis, Præce-
ptis aut Præſcriptis ſine Dei Verbo eſſe conſentiendum in Salu-
tem: Vanitatem[b] *eſſe omnem Salutem ab Homine: Reſtituant* b *Pſal.* CVIII.
mihi, addens, *prius mea Spoliata; & oſtendam ipſos toto cœlo*
errare, eſſeque Hæreticos. Reſpondeant Domini illi & Magiſtri
Noſtri meis Scriptis: Non enim ſufficit condemnare, ſed per
Dei Verbum aut Scripturam Sacram debent ſua reprobata aut
negata convincere: Ego numquam eorum Falſitatem, Nugas
ac Blaſphemias in Deum adprobabo: quum ſint Magiſtri men-
daces, &c. Initio anni ſequentis acceſſit [c]Captivum Abbas, cIↄ Iↄ LVII. c *Ianuar.* XI.
comitatus Ioanne Lannoio, Molembaiſæ Dynaſta, Aurei Abbas Ioannem Lannoium, Virũ Nobiliſſimũ ad Reum adducit, cumque eo rurſum velitatur.
Velleris Equite, Montenſi Prætore, ejuſque Conjuge Io-
anna Lignia: factaque de controverſis Articulis mentio-
ne, inſtitit, ut modis omnibus & per totum Romanæ con-
ſentiret Eccleſiæ; addens, *omnem omnino Sacram Scriptu-*
ram interpretandi auctoritatem ei ſoli deberi, nulli autem
Mortalium competere. Quod Angelus negans, in medium
adduxit Ioannis[d] illud, *Vnctio docet vos; & ſicut ipſa docet,* d 1. *Epiſt. cap* II.
tenete: Non ergo, ajebat, *debemus ex hominum ſenſu in Fide*
& in ſenſu Scripturæ Sacræ pendere, ſed ex Solo Verbo plano
& ex Spiritu eius. Vbi Verbum Dei planum eſt, clarum ac pa-
tens, non indiget Expoſitione; ſicuti eſt Præceptum[e] *de Non co-* e *Exod.* XX. *Deut.* V.
lendis Imaginibus & Simulacris;[f] *&, de Solo Deo adorando,* f *Math.* IV.
ipſique ſerviendo. Addebat, *Quum in principio ipſe Ruardus*
mecum conferret, & dicerem hunc Simulacrorum Cultum &
Oſculationem Imaginum eſſe abolenda; hoc ipſum mihi con-
ſenſit; declarans ſe velle, Populum non ita eſſe addictum Cul-
tui tali: Quum autem inter nos Cauſſa ageretur, contrarium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

cIↄIↄLVII. *tamquam inconſtans & Magiſter mendax, præſcripſit*. Reprehendens hic Captivum Abbas, Baſilium laudavit : *eum ſcilicet in Synodo Nicena, vel ſuper eam ſcribentem, etiam Imagines adorare: quem* quum Angelus diceret *errare, ſicut in alijs multis, niſi ſint ſuppoſititia; Inſipiens Cor apud Iſaiam*

a Iſa. XLIIII. [a] *adorare Sculptilia; Ioannem Epiſcopum Hieroſolymitanum, apud Hieronymum in Epiſt. contrarium docere, probareque, non licere ullas in Eccleſia haberi (ne dum adorari & coli) Imagines*; ingeminavit non ſemel Abbas, *Reum omnino errare, & in tenebris eſſe*. Cui reſpondens Angelus: *Se in Luce vera*, dixit, *eſſe, & Verbi Dei Veritate; ſeque de hoc certum eſſe per Spiritum Sanctum, qui in Fidelibus eſt; quem qui non habet, non eſſe eius, ſed neque Chriſtianum*. Inferenti Lannoio, *Nos ſtare debere cum Eccleſia, & eius expoſitioni adhærere*; contrarium oſtendit Angelus, adducens per Irenæum Epiſcopum Lugdunenſem & Gelaſium Papam, *in Concilio Romano Eccleſiam ante mille annos tenuiſſe, in Chriſto duplicem eſſe Naturam, Humanam ſcilicet & Divinam; Eutychem Hæreticum illud negaſſe; Patres probãdis contra eum duabus in Chriſto Naturis adduxiſſe, in Sacramẽto Euchariſtiæ etiam contineri duas Subſtantias, ſcilicet Naturalis Panis & Chriſti; item Naturalis Vini & Sanguinis Chriſti; uti paret ex eorum ſcriptis : verum iam Succeſſores contrarium determinaſſe, velleque, eſſe Tranſſubſtantiationem in Sacramento, & unam Naturam tantum vel Subſtantiam: Quibus hic credendum? Antiquioribus*, ajebat, *Sanctis Doctoribus, an Neotericis? Chriſtus ipſe vocat Sanguinem ſuum Genimen Vitis, hoc eſt, Naturale Vinum; ergo Subſtantia Vini non evaneſcit : Ipſe namque Veritas eſt, & non eſt mentitus. Idem dicit Cyprianus: Sanguis Chriſti Vinum eſt, non Aqua*, Quum Abbas diceret, *Chriſtum vocaſſe Genimen Vitis Vinum ante Calicis Conſecrationem vel Sumtionem ab Apoſtolis* : negavit Angelus, *manifeſtum eſſe*

docens

docens *ex Euangelio, Chriſtum hoc dixiſſe poſt Samtionem: Auguſtinum etiam inculcare de Pane Conſecrato: Securus accede, Panis eſt, non Venenum: Manere ergo Panem.* Quæ & multa alia, a me brevitatis gratia omiſſa, audiens Abbas, non deſtitit dicere, *Angelum errare & in tenebris eſſe; erroreſque fovere:* Cui conſtanter ille, *Se in vera Luce*, reſpondit, *eſſe & Veritate.* Lannoius hic, *Quum eſſes iunior*, ait, *errabaſne? itane de Fide ſentiebas?* Cui Angelus, *Erraſſe ſe in multis* reſpondit, *& adhuc errare poſſe: Nempe ego non præſumo intelligere*, inquit, *totam Sacram Scripturam: quæ tamen ſecundum verum Senſum ex Verbo per Spiritum Sanctum intelligo, pro viribus retinebo, nec a Senſu illo recedam.* Quum Abbas conaretur ipſum ab tali Senſu retrahere, quaſi eſſet Præſumtio, talia adſerere; his verbis eum Angelus eſt adloquutus: *Tu Domine Abbas hoc ipſum doces in tuo Libello Inſtitutionis Spiritualis, addens, Quod quum Homo in fundo Cordis ſui ſentit veram Veritatem, aut Veritatis Virtutem, non debet ſe permitti ab ea abſtrahi, aut pati abduci, etiamſi mille Doctores & Magiſtri Noſtri contrarium docerent, aut ſuaderent, & ad alia ipſum pertrahere niterentur, ſive laborarent.* Monente Lannoio, *debere Reum auſcultare Abbati*; reſpondit ille, *hoc ſe optare, ſcilicet ab eo addiſcere, ubi Dei Verbum adducitur, & non Hominum Commenta protruduntur: Ab Hominibus enim Hominumque Commentis ſive Opinionibus non eſſe Salutem, quæ in Solo Chriſto, & ex Chriſto: Se fateri imperfectum; ſed Perfectionem ſuam eſſe, ſe noſſe imperfectum: Eccleſiam etiam numquam eſſe, nec futuram, nec fuiſſe ſine ruga aut macula in hoc Mundo, ſed tantum poſt hanc Vitam.* His dictis, quum Lannoius obiter rogaſſet, *unde eo veniſſet, & quamdiu ibi fuiſſet*; quumque ad ſingula paucis reſpondiſſet, diſcedentes rogavit Angelus, *ut pro Se orarent*; pollicitus, *Se pro ipſis etiam oraturum Deum, ut ſuam*

clↄ.Iↄ.lvii.

Nota de Ludovici Bloſi Abbatis Laetienſis Libello, cui Titulus erat Inſtitutio Spiritualis.

cIↄ Iↄ LVII. *Gratiam indies largius Fidelibus ſuis adfundere non dedignetur.* Magnum inde per ſex Menſes ſilentium. Quum nihil amplius in cœpto Negocio nec verbis placidis, nec minis proficere ſe, omniaque Tela ſua contra Angelum vel fracta jacere, vel confecta eſſe animadverterent cum Ruardus Inquiſitor Primarius, tum Magiſtri Lovanienſes, quorum promtiſſimos ille Adjutores ſibi adſciverat, finem Cauſſæ, Pœnamque Captivo molientes, deliberare inter ſe cœperunt, quonam Loco Spectaculum eſſet edendum. Eum optabant celebrem quidem; ſed ubi nec Angelo Amici eſſent vel Noti; nec Cauſſæ Fautores. Quũ de multis velitatum eſſet, placuerunt tandem Hannoniæ Montes; duas præcipue ob cauſſas, & quod Pars illa Belgicæ non tantum Novæ Religionis, uti appellabant, venenum imbibiſſet, quamtum aliæ Regiones, præcipue Hollandia (quo quidam eum retrahendum cenſebant, quum querelas perpenderent crebras Incolarum, de Vi Privilegijs ſuis facta) Flandriaque; & quod Senex Batavus Idioma Hannonijs uſitatum ignoraret. Neutra magni erat ponderis; poſterior præſertim. Nam Linguam Gallicam, cujus Dialectus Hannonia, optime callebat, quum quadriennium integrum Pariſijs hæſiſſet, conſequutus ibi tandem in Theologia gradum. Conſumto igitur varijs Deliberationibus tempore, tandem illud effectum apud Regẽ Philippum, ut ex Abbatia Laetienſi extractus [a] in Vrbem, quam dixi, circa initium Iunij tranſportatus, ibique Arcis Carcere fuerit clauſus. Vt autem res dolo, injuria, vi careret, ſpargi curarant in Vulgus Magiſtri Noſtri per Emiſſarios, quod conprehenſus eſſet in vicinis locis. Omnia quãta fieri poterat induſtria celabantur, ne quid eorum in Hollandiam penetraret; quæ, ſi quid percepiſſet, magnos motura videbatur tumultus. Sic quæ gerebantur tardius ibi inno-

Perſeverãs in Fide, quã profeſſus erat ſemel Angelus,

a *Ianÿ* IIII. ad Montes ducitur Hannoniæ.

innotuerunt. Miſſi quamprimum Montes ab Ruardo Magiſtri Entzenius Iacobita & Dionyſius, Doctores; Ille Iuris Canonici, Hic Medicinæ, una cum Fiſcali Notarioque inſtituerunt rurſus cum Angelo de præcipuis Fidei Articulis Diſputationem; quæ, ut alia multa, Adverſariorum technis & malivolentia ſunt ſuppreſſa. Videntes illi Angelum conſtanter in ijs, quæ ſemel S. Scripturæ convenientia adſeruerat, perſeverare; quin & ſublatis in Cœlum manibus ſibi gratulari, *ſupremam ſuis Calamitatibus adeſſe Horam, qua ſe, cum gloria adſertæ fortiter Veritatis, Ieſu Chriſto, Nominique eius æterno conſecraret:* Sententia tandem ſua declararunt, [a] *Ipſum eſſe Relapſum, & Hæretico deteriorem,* Iudicibuſque tradiderunt Secularibus; qui ſolenniter exauguratum, Infuliſque pro conſuetudine Pontificijs recepta nudatum, igne necandum pronunciarunt, [b] IX Kalendas Sextileis: quo die quũ ſupplicio eſſet adficiũdus, impedimentũ objecit Deus, donec ex Batavia adeſſet is, qui de Actis in ipſum ab Inquiſitoribus apud Extraneos & Ignotos, alijſque, quæ Mortem proxime comitata, certa teſtaretur. Quum enim Gulielmus Merula, Fratris Filius, ex fidis Tabellarijs ſerius didiciſſet alio abductum Patruum, Finem illi vitæ jam inſtare auguratus, eveſtigio ſe contulit Bruxellas, ubi tunc erat Ruardus: quem ſine mora multo [c] veſpere accedens rogavit, ut Schedulam ſibi daret commendatitiam, cujus beneficio aditum, qui omnibus tam Conſanguineis, quam Extraneis negabatur, ad Patruum haberet. Is, nonnihil hærens, *Ecce Fili*, dixit (ipſiſſima ponam Verba, uti ea in Patris Ephemeridibus reperi) *ſecreto tibi habeo loqui, neque volo alios conſcios eſſe. Patruus tuus dedit Supplicationem nuperrime exiſtẽs Laetijs ad Regem Angliæ, ut daretur ei totum Coenobium aliquod pro Carcere. Qui Rex miſſa Supplicatione ad me iuſſit, ut a Laetijs ad Montes tranſ-*

cIↃ IↃ LVII.

a *Iunij* XVIII. Relapſus declaratur,

b *Iulij* XXIII. Igni adjudicatur:

& Gulielmũ Merulam,

c *Eodem die.*

qui, convento Bruxellis Ruardo,

cIɔ Iɔ LVII. *tes transferretur (ubi in Caſtro poſitus iam dicitur, in Vrbe) & mitterentur duo ad eum Commiſſarij; quod audiſſet eum Rex eſſe relapſum. Ruardus ego iuſſi hæc fieri: & miſi quemdam M. Dionyſium Medicum Doctorem, & quemdam Doctorem Entzenium, Prædicatorij ordinis, cum Notario Macquet & Petro Fiſco. Illi ij Commiſſarij declararunt eum poſt multam Diſputationem relapſum & deteriorem Hæretico, & quam prius fuerat. Hæc Diſputatio habita eſt in Domo Abbatis in Montibus, & mire ſe habuit, mirîſque modis. Et tradiderunt eum Manui Seculari, & in poteſtatem Iudicum Secularium.* Quibus auditis Merula, ſummopere conſternatus, negante Schedulam Ruardo, qui addebat ipſum non inventurum in vivis ſuum Patruum, ſine ulla dilatione Mõtes verſus, ne nocturno quidem parcens itineri [a] contẽdit. Vrbẽ ingreſſus [b] circa decimam matutinã obvium habuit extractum cuſtodia Patruũ, quem baculo innixum, macie deformem, ſqualidum, (nam ſex ſeptimanas in fœdiſſimo fuerat carcere) ſui plane diſſimilem Monachus Franciſcanus comitabatur; qui, Chriſti Salvatoris meriti oblitus, Mariæ Virginis, aliorumque, qui defuncti ante multa ſecula, in extremo Agone Invocationem obganniendo urgebat. Angelus Soli Chriſto fidens, quum Fratris Filium vidiſſet, converſus ad eum, *Fili*, inquit, *adeſt iamnunc, quam votis omnibus exſpectavi, ardentique deſiderio deſideravi, ſuprema illa Hora, qua magnum illud Numen* (levatis oculis dextram, nam vinctus non erat, debilis & impotens, in Cœlum extendebat) *clementiſſime mihi largitum eſt, ut non ſolum meo ſanguine conſignem, morteque acerba comprobem ea, quæ hactenus contra Dei Hoſtes ex Sacro-ſancto eius Verbo publice privatim ſum profeſſus, verum etiam teſtatum faciam nihil eorum, quæ adverſum me in Hagienſi Capitolio confinxerunt, eſſe verum. Ex Hollandia per varia loca*

fœde

[a] *Iulij* XXV.

[b] *Iulij* XXVI.

inexpectatus aderat;

alloquutus in Via,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

fœde tractus huc tandem veni, paratus hodie totum me Chriſto meo puram offerre Hoſtiam. Adſpirat ad Deum Anima Mea, quam Adverſarij temere dixerunt Diaboli Peculium. Abſit, abſit. Indicant hoc illi ſiniſtre, Populoque perſuadent, cum ex Doctrina, quæ tamen Verbo Dei conſonat, quamque ne una quidem machina potuerunt evertere; tum ex Corpuſculo meo, quod licet exſuccum, tam indigne tamen fuit hactenus habitum, ut adſpectu ſit ingratiſſimum. Vide enim Pedores hos; ſi oculi abhorreant, Odor ipſe prodet: Furum Latronumque favorabilior eſt conditio. Ito iam-nunc quæ vidiſti, quæ auditurus, nuncia Amicis, Notis, Alijs, qui in Patria. Fidus mihi, quamdiu licuit, fuiſti: Debebantur Tibi Hæredi meo mea omnia: ſed Hæreditatis tuæ amiſſionem ea tolerato fortitudine, qua Ego Vitæ. Non deeſt Ingenium, non Eruditio, quam noviſti me ſemper, quamdiu per Iſtos potui, in te foviſſe. Matureſcit ætas; adſciſce Conſortem, quam tibi liber adhuc deſignavi. Bonum Opus docẽdo ſum operatus in Heermannorum & Kerckwerviorum Familijs. Dabit incrementum Deus. Illi tu fide; Coeptis adſpiraturo. Iuva, quantum potes, Hoſpitia, quæ Brielæ paravi Pauperibus; quibus utinam illa, decretoſque ipſis Proventus non eripiat Fiſcus; qui, ſpero, futurus clementior.

Quum inſtarent Lictores, & Merulæ etiam ob familiarius Colloquium minarentur, *Ecce.* inquit, *ego abeo: Gratias clementiſſimo Patri ago, quod publica adficiar morte, ne liceat Adverſarijs Conſtantiam hanc meam, divinitus infuſam, onerare Calumnijs, quod proculdubio feciſſent, ſi me, quod in Abbatia Laetienſi ſunt conati, ſacco incluſum aquis ſuffocaſſent; vel veneno necaſſent. Non tamen meus Sanguis exſtinguet ortum contra Ipſos Incendium: in multo maiores illud flammas brevi exibit, quibus ſopiendis numquam erunt ipſi, nec eorum poſteri, pares.* Vaticinium Angeli. His dictis, quum paucis Patruum ſolatus eſſet, & hortatus Merula, *ut firmiſſime crederet, ſe*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

CIↃ IↃ LVII. *brevi Bona Domini viſurum in Terra Viventium*; *ideoque viriliter ageret*, *Dominumque conſtanter exſpectaret*, divulſi

Populumque hortatus, ſunt. Procedens Angelus, inculcare non deſtitit Lingua Gallica (quod, ut inexſpectatum, male Monachum comitantem & alios quoſdam habebat) per omnes plateas & compita Spectatoribus *veram Dei Agnitionem*, *Dilectionem*, *Timorem*, *Chriſti Ieſu unici Salvatoris noſtri Mortem & Meritum*, *Propriorum Operum deteſtationem*: adſerens inter Cauſſas ſuæ Mortis eam eſſe principem, quod *Deum Solum invocandum* dixiſſet. Quum extra Vrbem ad Locum Supplicio deſtinatum perveniſſet; rogavit, ut ſibi liceret ad ingreſſum Caſæ (in quam condendus jam jam erat) ſtramineæ, faſcibuſque & lignis undique ſeptæ ſuffultæque, Preces ad Deum fundere, ejuſque in ſupremo hoc certamine miſericordiam implorare: quo non difficulter impetrato, dum flexis genibus, manibuſque in Cœlum

Deo invocato, ſublatis, Orationi eſt intentus; animadverſus eſt verſus dextrum latus inclinare. Quum putarent Adverſarij viribus ipſum ob inſtans ſupplicium deficere; adcurrentes, deprehenderunt mortuum. Animam ſcilicet ejus cle-

inter Preces expirat. mentiſſimus Deus ad ſe, rariſſimo ſane exemplo, evocarat; ne quid cruciatuum, qui Morbis, Senio, Carcereque fere quinquennali jam plane pleneque erat fractus, ſentiret. Carnifex ſatisfactum Iuſtitiæ dictitans, quum miraculo attonitus ultra pergere detrectaret; eveſtigio Lictorum quidam ignem injiciunt Caſæ, quam dixi; Spectatoribus, qui remotiores adſtabant, perſuaſis, Angelum ini-

Corpus in Cineres redigitur, bi eſſe collocatum. Ea ſolotenus combúſta, quum Corpus defuncti, nihilominus cremandum, comprehenſum in Struem Lignorum Lictores eſſent conjecturi, levatum imprudenter in altum conſpexerunt, qui procul erant, adhuc integrum, nulla parte uſtulatum, ne Pilis quidem

vel

vel Barbæ, vel Capitis, qui per Pectus Humeroſque pro- cIↄ Iↄ LVIII.
lixi fluebant, læſis: Quum vero neſcirent ijdem inter Preces (nam illud modis omnibus celabatur) exſpiraſſe; ſtatim ſparſus eſt ab ijs rumor, Flammis in Vitum Sanctum nullum Ius fuiſſe. Is per ſummam Inquiſitorum perfidiam Angelo fuit Finis; Bonis ipſius omnibus, quæ Fratris Filio Gulielmo Merulæ, Soli & Vnico Hæredi, debebantur, Fiſco addictis. *Bonis Fiſco addictis.* Agebat annum tunc LXXV. Natus enim eſt anno cIↄ CCCC LXXXII, Patricia Familia, Brielæ. *Quando natus.* Vir fuit mediocris Staturæ; macilentus admodum; ſubfuſco Colore; Fronte læta; Naſo decente & oblongiore; *Qualis, Corpore;* Malis deplenis & exſuccis; Barba ſub Vitæ finem hirſuta, Capilliſque per humeros fluitantibus; Oculis vegetis & ſcintillantibus, quorum adminiculum fidius ipſi fuit ad exitam uſque ætatem, quam Aurium. Nam Surditas ipſi magnas in Diſputationibus contra Adverſarios ſubinde creabat moleſtias. Ioanni Hus tam ſimilis, ut Pater ſemper cenſuerit Imaginem illam, quæ Magni iſtius Viri circumfertur, ex Vultu Patrui, quum Lovanij eſſet apud Cellitas, furtim expreſſam. Valitudinis tenerioris & parum proſperæ; Tenaſmo plurimum laborans, Dyſenteria, aliiſque Morbis; quibus mirum quamtum incrementi acceſſerit, quum Carcere clauſus detineretur; Scipione ſuorum membrorum juvans inbecillitatem. Moribus commodis & defæcatis. In Proſperis moderatus; in Adverſis, conſtans; in Dubijs, prudentiæ ſingularis. *Animo,* Bonæ indolis, ſed ad iracundiam ſubinde pronioris; qua tamen numquam ita concitatus, ut indecori quid vel dixerit, vel fecerit: Nullius ſupercilij, nullius faſtus: Civibus ſuis gratiſſimus; apud quos, cum aliórum, tum Kerckwerviorum & Heermannorum animis ſemina primus commiſit purioris Religionis. Frugi admodum, & Ciborum Potuſ- *Victu Veſtituque,*

ↀ Iↄ LVII. que continentiſſimus. Veſtitu decorus ; Inceſſu gravis. Opibus, Opibus amplis, quas nonnulli ſcribunt primum Inquiſitoribus inhiantibus Tragœdiæ fontem aperuiſſe : Largus in Pauperes ; quibus Hoſpitia primus anno ↀ Iↄ LII conſtituit in Vrbe Patria ; hodie & pia Magiſtratus cura, & bonorum Civium munificentia plurimum aucta. Feli- Eruditione. ci acrique ingenio ; numquam otioſus & in multas plerumque noctes ſtudijs vacans ; infinitæ Lectionis : Bonis omnibus Diſciplinis imbutus; Latinæ, Græcæ (quam didicit XL annorũ) Hebraicæ, Gallicæque linguæ peritiſſimus: Philoſophus acutiſſimus : In cultiore Theologia cum primis cenſendus, & rerum Cœleſtium contemplationi addictiſſimus : Diſputator validus ; & facundia, vel Adverſariorum judicio, nemini cedens. Nominis celebritate plurimis, quum in Carcere haberetur, innotuit. Amici ejus. Amicos habuit multos : inter eos primi loci *Ioannem Sartorium*, cui ſaniora de Fide Dogmata inſtillarat : captus autem, *Præſidem Aſſendelſium*, ejuſque Collegas Senatores ; quorum uni in Deſperationis Barathrum præcipitato poſtulatus Conſilium concinnavit pium, ſolidum, doctum. Scripſit ipſe, quoties & quamdiu potuit, vel Fratris Filio, Gulielmo Merulæ, dictavit omnes ſuas cum Inquiſitoribus Diſputationes, Refutationes, aliaque quæ ad ipſam Tragœdiam : ex quibus, quæ nunc edo, fideliter ſunt & ſtrictim Scripta. collecta. Alia multa ejus apud me ſervantur de varijs Doctrinæ Chriſtianæ Capitibus : quorum hic Syllabus :

Diſſertationes,

Omnes poſſe tractare & loqui de Verbo Dei.
De Iuſtificatione Fidei.
De Gratia Dei.
De Vero Fidei & Sacramentorum Intellectu.

De-

De Vtilitate eundi ad Sacramenta.
Quo modo quis digne accedat ad Cœnam Domini.
De Tranſſubſtantiatione in Altaris Sacramento, an ſit, vel non ſit.
De Matrimonio.
De Pœnitentia.
De Cruce & Tribulatione.
Conſolatio Conſcientiarum, quæ læſæ.
Quo modo conſolaturus ſe ſit Chriſtianus, quum a Deo probatur, & in Deſperationem præcipitatur.
De Solo Deo invocando in omni Cruce & Tribulatione.
Propoſitiones aliquot, Chriſtum Ieſum ab multiplicibus Interceſſoribus vindicantes; ipſumque Solum & unicum coram Patre Cœleſti pro ſuis Fidelibus Interceſſorem probantes.
De Cultu & Invocatione Sanctorum.
De non Invocandis Sanctis.
Quomodo Orandum.
Voluntarie Moriendum.

Explicationes

Decalogi.
Orationis Dominicæ.
Symboli Apoſtolorum.
Eccleſiaſtis Salomonis.
Tentationis Ezechiæ.

Alia.

Sermones infiniti.
Catechiſmus.
Confeſsio quotidiana.
Conſolatio Aegrotantium.
Epiſtolæ innumeræ.
Commentationes quædam in Ius Canonicum.

Errata paucula Monitaque:

Pag.	Lin.	
I.	I.	SVCCINTA: *Leg.* SVCCINCTA.
	5.	*Triennium:* Scribere volui *Quadriennium*.
VII	32.	*Ola:* Leg. *Sola*.
VIII	17.	*Panitentialem:* Leg. *Pœnitentialem*.
	27.	*Suppoſitium:* Leg. *Suppoſititium*.
XIII	25.	*Conſilium:* Leg. *Concilium*.
XVI	24.	*Tenaſmonem* Manum ſequutus ſum Medici, qui Angelo laboranti adeſſe conſuerat: malim tamen hic & alibi *Tenaſmum*.
XVII	20.	*Concilo:* Leg. *Concilio*.
XXI	11.	*Angleus:* Leg. *Angelus*.
XXXV	10.	*conquirendo: conquerendo*.
LV	20.	*Iuſtititum: Iuſtitium*.
LXIII	21.	*Eboracenſem:* nominandus paſſim *Hebronenſis*. Res Trajecti nota.
LXX	24.	*Impreſſorumqua:* Repone *que*.
LXXXIV	28.	*Dilectiorem: Dilectionem*.
LXXXVI	20.	*Iudicans: Indicans*.
	33.	*Magnaminitatis: Magnanimitatis*.
XCI	30.	*Adorara: Adorare*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Ne Pagina hæc eſſet vacua, conſultum putavi adponere hic partem Arboris Gentilitiæ Merularum, non oſtentandi gratia; ſed quibuſdam, quæ in ſuperioribus occurrunt, inluſtrandis:

Balduinus Merula;

Gulielmus Merula Major:

Balduinus Merula,

Iemandus Merula Inprolis.

Gulielmus Merula:

Petrus Merula, Sacerdos.

Hugo Merula.

Franciſcus Merula.

Balduinus Merula.

Alithea.

Hadriana.

Ex horum Poſteritate Nemo hodie ſuperſtes.

Gulielmus Merula Minor:

Bartholemæus Merula:

Gulielmus Merula. Obiit anno cIↄ Iↄ xvi. Martij ultima:

Angelus Merula: de quo plene in Hiſtoria: Obiit cIↄ Iↄ lvii. Iulij xxvi.

Paullus Merula: vir non indoctus, vt tunc tempora ferebant, varijs in Linguis verſatus: Adoleſcẽs enim multas peragrarat Provincias, plurima viderat Regna, clariſſimas noverat firmãdo formãdoque judicio, & juvandæ quandoque Patriæ (quod etiã in Partibus ipſi creditis diligẽter præſtitit) Reſpublicas. Obiit an. cIↄ Iↄ xl. Ian. ix. ætatis ſuæ xxxvi. Vxor illi — Agatha Martini F. Matrona honeſti apud Brilenſes loci. Vidua,

Hubertus Merula. Obiit Silvæducis, ubi litteris operam dabat, cIↄ Iↄ xxix.

Katharina nupſit Theodorico, Theodorici F. ex quo ſuſcepit Corneliũ, de quo aliquoties in Hiſtoria.

— Laurentij Ioannis F. qui ex illa ſuſceperat Ioannem Laurentium, Sacerdotem, qui ob Reformatã Religionẽ Exſul, obiit Veſaliæ anno 1568. Feb. 14.

Gulielmus Merula, natus Brielæ anno cIↄ Iↄ xxix. Novemb. ix. Gradum Pariſijs conſequutus, in Patriam reverſus Quæſturam adminiſtravit Agri Puttani; moxque Præfectus Arci Heenvlietianæ, occupata ab Geuſijs Briela, magnum, quod ab Incendiarijs imminebat, periculum evaſit. Quum inde multos annos Civitati Dordracenæ fuiſſet ab Secretis, vita defunctus eſt anno cIↄ Iↄ xcix. Maij v, Septuagenarius. Vxor illi Iacoba Giſberti F. Heermans, Patritiæ apud Dordracenos Familiæ, quæ obijt anno cIↄ Iↄ xcIIx. Nov. xvi.

Margareta Merula, quæ juvenilibus obiit annis.

Paullus Merula I.C. huius Hiſtoriæ Auctor: natus Dordraci anno cIↄ Iↄ lviii, Auguſti ix. Vxor Iuditha Buys, VVouringanæ ſtirpis, Bartholemæi Filia:

Agatha. Gertrudis. Maria. Elizabetha.

Iacoba obiit. Gulielmus. Bartholemæus. Angelus obiit. Iuſtina. Iacobus obiit. Iacobus. Ioannes obiit. Iacoba.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10

36

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 10